Dat. die 20 aprilis 1792 anno XVIII.

## DCCCXCIV.

Concessio nonnullorum insignium pro præposito collegiatæ ecclesiæ s. Leodegarii Lucernæ Helvetiorum Constantiensis diœcesis provinciæ Moguntinæ pro tempore existente.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Ratio concessionis.

§. 1. Dum per antiquæ ecclesiæ collegiatæ ad s. Leodegarium oppido civitatis nuncupat. Lucernæ Helvetiorum Constantiensis diœcesis provinciæ Moguntinæ dignitatem, nec non singularis fidei constantiam, ac devotionis affectum, quo dilecti filii tum magistratus pagi Lucernæ hujusmodi, et canonici ejusdem collegiatæ ecclesiæ erga Nos, et hanc sanctam Sedem gerere comprobantur, unde præpositi dictæ collegiatæ ecclesiæ pro tempore existentes jampridem ab apostolica Sede pluribus privilegiis, et honoribus augeri, ac condecorari meruerunt, pensamus, dignum arbitramur, accedentibus præsertim ad id dilectorum filiorum magistratus pagi hujusmodi precibus, moderni præpositi ecclesiæ hujusmodi petitionibus, quæ ad suæ dignitatis splendorem augendum, illamque novis honoribus honestandam pertinere dignoscuntur, congruum impertiri suffragium, prout in Domino salubriter expedire cognoscimus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus Balthassar modernus dictæ collegiatæ ecclesiæ præpositus, quod ipse, qui veluti præpositus hujusmodi inter cætera, ut asserit, jus habet benedicendi campanas, ecclesias, et altaria polluta reconciliandi, trinam benedictionem in missa solemni impertiendi, calices, aliaque vasa, et indumenta sacra benedicendi, quo suæ dignitatis hujusmodi splendor augeatur, sibi, suisque successoribus præpositis collegiatæ ecclesiæ prædictæ legitime intrantibus una cum mitra, cujus usum præpositis hujusmodi per Nostras literas diei sextæ kalendas januarii anni millesimi septingentesimi septuagesimi sexti sub plumbo datas concessimus, etiam pedum, crucem pectoralem, benedictionem abbatialem, jus in eadem collegiata ecclesia populum benedicendi, rocchettum, ac mozzettam induendi, aliaque abbatum in Germania propria insignia, et privilegia per Nos impertiri summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur eumdem Nicolaum, suosque successores præpositos hujusmodi specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ipsumque exponentem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacunque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eidem Nicolao moderno, cæterisque suis successoribus præpositis pro tempore existentibus collegiatæ ecclesiæ sancti Leodegarii oppidi civitatis nuncupati Lucernæ prædicti Constantiensis diœcesis provinciæ Moguntinæ legitime intrantibus, ut cum mitra in prædicta collegiata ecclesia tantum, ac absente episcopo, et legato, et nuncio apostolico, etiam pedo, seu baculo pastorali, et cruce pectorali uti, benedictionem abbatialem consequi, populum in eadem collegiata ecclesia sacris vestibus induti benedicere, rocchettum, et mozzettam in sessionibus, processionibus, congregationibus, conventibus, aliisque ecclesisticis functionibus gestare, cæterisque abbatum in Germania insigniis frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant, ita tamen, ut ex honoribus hujusmodi nulla quoad jurisdictionem episcopi Constantiensis pro tempore existentis tum in ipsam collegiatam ecclesiam, tum in præpositos hujusmodi innovatio inducatur, sed illa salva, et illæsa omnino remaneat, ac quoad usum insignium, ac privilegiorum prædictorum servetur forma a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum alias præscripta, et a felicis recordationis Alexandro pp. VII. prædecessore Nostro per suas in simili forma Brevis die vicesima septima septembris anni MDCLIX. expeditas literas specialiter approbata, et confirmata, auctoritate apostolica tenore præsentium de speciali dono gratiæ concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obti-

nere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ collegiatæ ecclesiæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut memoratus Nicolaus præpositus, vel sui successores antequam privilegiis, honoribus, ac indultis hujusmodi utantur, indultum hujusmodi episcopo Constantiensi exhibere teneantur, alias præsentes Nostræ literæ nullæ sint. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

## DCCCXCV.

Dat. die 24 aprilis 1792 anno XVIII.

**Indultum vendendi census, et imponendi taxam super bonis ecclesiasticis in dioecesi Urbinatensi existentibus.**

Venerabili fratri Spiridioni archiepiscopo Urbinatensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

Ratio concessionis.

§. 1. Dum insignis hujus tuæ ecclesiæ Urbinatensis, quæ jamdiu a felicis recordationis Pio pp. IV. prædecessore Nostro in metropolitanam fuit erecta dignitatem, et miserandum casum quo ipsa nuper vel terræmotu, vel sua ipsa vetustate tota penes diruta est, pensamus, dignum arbitramur tuis justis petitionibus, quantum cum Domino possumus congruum impertiri suffragium. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod et si Nos alias, vel per Nostras in simili forma Brevis, diei undecimæ junii millesimo septingentesimo nonagesimo expeditas literas, vel per Nostrum chirographum die quinta junii millesimo septingentesimo nonagesimo signatum, tibi scuta quinque mille super multiplicum a quondam Francisco Suante ordinatum, ac scuta octo mille de hæreditate quondam Francisci Amati Ricci, quo eamdem hanc tuam metropolitanam ecclesiam reædificare valeres attribuimus, prout in memoratis Nostris literis, et chirographo uberius continetur. Nihilominus cum hæc summa ad inceptum hujusmodi perficiendum haud satis fore deprehensum sit, immo saltem alia scuta viginti mille omnino oportere, ut huic operi suprema manus imponatur, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Non igitur supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, vel per te ipsum, vel per personam, seu personas a te subdelegandam, seu subdelegandas unum, vel plures census super bonis mensæ archiepiscopalis ad formam Pianæ constitutionis usque ad summam scutorum viginti mille monetæ Romanæ sub eo tamen minori interusurio, quo fieri poterit, absque ullius censuræ, aut poenæ ecclesia-

sticæ incursu in dictam reparationem, seu reædificationem erogandam vendendi, ac constituendi plenam, et amplam facultatem auctoritate apostolica tenore præsentium tribuimus, et impertimur. Ut porro conventa legalia interusuria persolvi, ac vendi annui census hujusmodi intra certum tempus redimi possint, hinc tibi facultatem imponendi annuam præstationem, seu taxam, ac subsidium usque ad totalem sortis principalis restitutionem, ac interusuriarum hujusmodi solutionem persolvendam quadragesimæ fructuum, redditnum, ac proventuum super omnibus et singulis bonis quarumcumque ecclesiarum, abbatiarum capitularium, et conventualium, prioratuum quoque, præpositurатuum, præceptoriarum, canonicatuum praebendarum, dignitatum, etiam majorum, et principalium, personatuum, administrationum, et officiorum quorumcumque, beneficiorum ecclesiasticorum et simplicium, et residentialium cum cura, et sine cura saecularium, ac monasteriorum ordinis sancti Benedicti, sancti Augustini, Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Carthusiensis, Camaldulensis, MontisOliveti, et specialiter sui suppressi monasterii de Gaiffa, Vallisumbrosae, et quorumcumque aliorum ordinum utriusque sexus etiam mendicantium, et præsertim monasterii sanctimonialium sanctae Clarae istius civitatis Urbinatensis, Cassinensis, sancti Salvatoris Lateranensis, aliarumque congregationum tam virorum, quam mulierum et societatum, et conventuum, et locorum piorum, et signanter universitatis studiorum, ac confraternitatum etiam di Piano di Mercato, et aliarum quarumcumque licet quovis modo exemptarum in ista tua Urbinatensi dioecesi possidentium, pro rata scilicet tantum bonorum, quae intra limites ejusdem dioecesis existunt, ac dummodo redditus hujusmodi annuam summam scutorum centum non detractis oneribus excedant, vel pertingant, auditis tamen eorumdem monasteriorum, conventuum, et locorum piorum hujusmodi deputatis auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus. Quo autem praestationem, seu taxam juxta redditnum hujusmodi quantitatem statuere valeas, hinc tibi pariter sub poenis arbitrio tuo imponendis, ac etiam per censuras ecclesiasticas superiores monasteriorum regulares quomodolibet etiam, ut præfertur, exemptorum, et administratores locorum piorum, monasteriorum, et confraternitatum hujusmodi, et signanter monasterii de Gaiffa monachorum montis Oliveti, sanctimonialium sanctæ Claræ, confraternitatis de Piano del Mercato, et universitatis studiorum praedictorum, ac beneficiatos quoscumque ad annuam exhibitionem librorum, et status reddituum, cuilibet ex dictis locis piis, monasteriis, et conventibus, confraternitatibus, et beneficiis ad hoc, ut hæc praestatio juxta reddituum hujusmodi quantitatem in singulos annos statuatur, vel præscribatur cogendi, vel etiam tibi ad faciliorem taxæ hujusmodi exactionem opportunum in Domino videatur, semel exhibitis libris hujusmodi cum eisdem administratoribus, ac beneficiatis annuam præstationem prædictam paciscendi plenam, et amplam facultatem tribuimus, et impertimur. Tandem cum ad aliquam etiam annuam praestationem super bonis, fructibus, redditibus et proventibus mensæ suæ archiepiscopalis te offeras, volumus, ut super bonis, ac redditibus hujusmodi annuam taxam, seu praestationem scutorum centum viginti pro tuo arbitrio imponere possis, et valeas.

§. 3. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis monasteriorum, conventuum, domorum utriusque sexus regularium, ac confraternitatum, sodalitiorum, caeterorumque locorum piorum superioribus, prioribus, deputatis, rectoribus, officialibus, et ministris cujuscumque status, gradus, ordinis, et qualitatis existant, et speciali mentione dignis, nec non beneficiatis cum cura, et sine cura, ut tibi non solum omnia instrumenta, librosque, in quibus bona quæcumque, redditus, jura, et onera quaecumque ad monasteria, conventus, et domos, confraternitates, loca, opera, pia quæcumque spectantia, et pertinentia adnotata reperiuntur, absque ulla mora, ratione, et prætextu exhibeant, sed etiam te de omnibus, et singulis, de quibus eos requisiveris, docere, ac certiorem facere omnino debeant, alioquin sententiam, seu pœnam, quam rite tuleris in rebelles, ac tuis mandatis parere recusantes statueris, ratam habebimus, et faciemus autore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Præceptum de comunicandis libris apostolico executori.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasteriorum, conventuum, domorum, confraternitatum, locorum, et operum piorum hujusmodi, nec non beneficiorum

Derogatio contrariorum.

etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris die vicesima quarta aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

## DCCCXCVI.

Dat. die 7. maii 1792. Anno XVIII.

### Erectio ecclesiæ Corbejensis in episcopalem.

Pius episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Super specula militantis ecclesiæ illo sic disponente Domino, qui rebus cunctis imperat, suoque ordine dat cuncta moveri, licet nullis suffragantibus meritis constituti, ad omnes catholici orbis ecclesias, singulaque monasteria mentem Nostram intendentes, quid insignium locorum splendori, quidve populorum, præsertim vero ecclesiasticarum personarum commoditati, et tranquillitati magis conveniat potissimum contemplamur. Etsi pro uiliori rerum dispositione congruum sit regulares viros ad statum sæcularem transferre, eorumque monasteria in episcoporum sedes convertere, tunc supplicantium vota admittere non recusamus, Nostrique pastoralis officii partes favorabiliter interponimus, ad hoc ut per novas episcopalium ecclesiarum, illorumque capitulorum sæcularium erectiones, nova etiam populorum militanti ecclesiæ præfatæ augeatur adhæsio, fidesque catholica inibi uberius efflorescat. Sicque dictorum locorum dignioribus titulis illustratorum incolæ vigilum præsulum opera, doctrina, et pietate suffulti proficiant semper in fide, divinusque inibi cultus amplius accrescat, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Expositio precum

§. 2. Cum itaque sicut dilecti filii Theodorus de Brabeck modernus infrascripti monasterii abbas, et Ludovicus de Bentleben ejusdem infrascripti monasterii prior, et Gaspar de Reusch, et Carolus de Beck, et Philippus de Spital, et Angarius de Roht, et Antonius de Esch, et Franciscus de Werneck, et Rembertus de Wihe, et Amandus de Coppenlagen, et Ludolphus de Hoiiel, et Warinus de Schade, et Benedictus de Pommeler monachi infrascriptorum ordinis, et congregationis in eodem infrascripto monasterio expresse professi Nobis humiliter exposuerunt in amplissima, et magnifica regione Westphalica episcopatibus, et comitatibus inibi frequentibus clara adsit civitas Corbejæ nuncupata satis suo nomine cele-

bris, et in ea insigne monasterium abbatia nuncupatum sanctorum Viti, et Stephani martyrum ordinis sancti Benedicti congregationis Bruffeldensis nullius diœcesis provinciæ Moguntinæ Sedi apostolicæ immediate subiectum, quod aliquot sæculis, ceu seminarium extitit episcoporum electoratus Saxoniæ, ex quo Ansgarius primus Hamburgensis episcopus, qui per vicinas gentes evangelium Dei propagavit, et deinde sanctus Rembertus, aliique plures doctrina, et eruditione præditi, atque illustres viri ad regendas ecclesias vocati sunt. Quodque quam plurima loca, et oppida cum præposituris, et non exiguo parochialium ecclesiarum undique positarum numero sub se continet, ac cujus pro tempore existens abbas sacri Romani imperii princeps renunciatur; ac voto, atque sessione in imperii hujusmodi comitiis gaudet, ac particulare et separatum territorium habet, ac jurisdictionem quasi episcopalem in dicta civitate, aliisque locis, et oppidis præfatis ex indulto apostolico exercet, et plures sub se enumerat nobiles vassallos. Quod quidem monasterium licet ab antiquissimo suæ primævæ fundationis exordio ad sequiora usque tempora monachos nobiles, et illustri sanguine genitos suo exceperit sinu, qui et numero ingenti, et suscepti instituti observantia floruerunt, soli Deo vacantes, et choro assidue inservientes, tepescente tamen propinquiori ætate solitudinis, et vitæ mere contemplativæ spiritu, potissimum vero hodierna temporum crisi omni fere regularem statum amplexandi favore, et voluptate in juvenibus sæculi ductis blanditiis languescente raro quispiam, qui regulari vitæ in hujusmodi monasterio nomen dare voluerit, inventus fuerit; proindeque numerus illius monachorum paulatim decrescens ita modo diminutus existit, ut illius abbate non comprehenso duodecim tantum monachi præfati obligationes, et onera eis ex regulis dicti ordinis, et congregationis hujusmodi imminentia vix queuntes explere absque, ut præfertur, novos alumnos acquirendi spe luctuose reperiantur; atque hinc manifestius appareat, ut divino in eo cultu in dies decrescente fundatio ipsa cum monasterio præfato sit forsan deperitura, atque extinguenda. Quæque omnia cum præfati abbas, et prior, et monachi dicti monasterii diu plane senserint, et quam de longe viderant parari mox noverint eis, et eorum monasterio præfato ingruere forsan periculi tempestatem, ut tot malorum accessio, etiam cum bono, fructuque Catholicæ Ecclesiæ possit removeri, et averti junctis in Domino cunctorum animis illud sane in hoc rerum anfractu magis, atque unice expediens cepere consilium, ut de tempestive immutanda dicti monasterii regulari conditione, illiusque ecclesiæ in ecclesiam cathedralem episcopalem erectione sedulo pertractarent.

§. 3. Precibus inde ex parte eorumdem abbatis, et prioris, ac monachorum dicti monasterii Nobis humiliter porrectis, quatenus ob præmissas ab eis expositas causas infrascriptis suppressioni, et sæcularizationi, ac erectioni manus opportune admovere, easque ad optatum effectum perducere dignaremur. Nos vigore decreti sub die decimatertia mensis septembris anni Domini millesimi septingentesimi nonagesimi a Nobis emanati, dilecto quoque filio Nostro, et Sedis apostolicæ nuncio ad tractum Rheni, ut suppressionis, et sæcularizationis, ac erectionis hujusmodi causis rite perpensis de illarum necessitate juxta instructiones in eodem decreto contentas Nobis inde referret, apostolica auctoritate commisimus. Cumque ex processu desuper confecto, et ad urbem a præfato nuncio transmisso Nobis constiterit, quod stantibus præmisso nobilium juvenum profitentium defectu, aliisque superius enunciatis causis fieri certe non potest, ut antiqua in dicto monasterio conventualitas, minusque splendor, et perfecta stabilitas, ac regularis observantia in eodem monasterio multum collapsa restituatur, sed ita gravibus involvi periculis, ut illud forsan ad interitum trahendum fore, eum ipsius fundationis jactura, et animarum quoque spirituali detrimento de proximo videatur. Secus vero si præfati monasterii, ac singulorum officiorum claustralium, et locorum monachalium, nec non infrascriptarum præpositurarum eorumdem ordinis, et congregationis regularium, et a præfato monasterio respective dependentium, dictorumque monachorum in dicto monasterio, ut præfertur, expresse professorum regularis status, nec non bona, res, proprietates, et actiones quæcumque, quomodocumque, et undecumque provenientia ad statum sæcularem reducentur, dictaque Corbejensis civitas in civitatem episcopalem, dictique monasterii, ut infra supprimendi, et extinguendi ecclesia cathedralis abbatialis, in cathedralem episcopalem sub invocatione eorumdem sanctorum Viti et Ste-

Ratio concessionis.

phani martyrum, quæ etiam parochialis, ut antea, existat ecclesiam, et in ea sedes episcopalis pro uno episcopo Corbejensi nuncupando, cum infrascripto capitulo, ut infra, constituendo perpetuo etiam ut infra erigerentur. Ex hoc profecto plurimum utilitatis, solatiique spiritualis clero, et populo ejusdem civitatis obveniret, ipsiusque cleri splendori maxime consuleretur.

Suppressio dioecesis nullius in locis monachalibus Stadbergensi, Breuckhausensi, et Meppensi.

§. 4. Nos igitur supradictis omnibus mature perpensis, eorumdem abbatis, et prioris, ac monachorum votis obsecundare, eosque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, nec non eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, val causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine in dicto monasterio, et singulis illius officiis claustralibus, et locis monachalibus, ac in una in Stadbergen., et alia Brenckhausen., et reliqua præposituris in Meppen. respective nuncupatis dictæ Nullius diœcesis provinciæ præfatæ, quæ nullibi dignitates, sed officia tantum simplicia, minime tamen collativa, ut pariter accepimus, respective existant, et quibus cura imminet animarum, quæ per vicarios amovibiles exerceri solet, aliisque membris quibuscumque respective titulum, denominationem, naturam, et essentiam regulares, ac omnem respective statum, et dependentiam, ac instituta regularia apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus, dictumque monasterium, illiusque abbatem et priorem, ac monachos præfatos eorumdem ordinis, et congregationis in dicto monasterio respective, ut præfertur, et expresse professus, et respective degentes, nec non singula officia claustralia, et loca monachalia hujusmodi, dictasque præposituras ad statum sæcularem, omnibus, et singulis privilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, honoribus, facultatibus, et aliis gratiis quibuscumque, tam spiritualibus, quam temporalibus, et mixtis dicto monasterio, et monachis præfatis apostolica, vel alia quavis auctoritate quomodolibet concessis, ac de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet competentibus, quoad ea tamen, quæ sunt in usu, et revocata non sunt, ac sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, ac concilii Tridentini decretis, seu statui sæculari, et ordinationibus per Nos, ut infra, præscribendis non repugnent, et applicationibus quorumcumque fructuum, redditumm, et proventuum, nec non bonorum, jurium, proprietatum, et actionum quarumcumque, ad eorum respective favorem, et commodum, alias tamen canonice factis; nec non decimis, juribus, laudemiis, recognitionibus, servitutibus, livellis, possessionibus, proprietatibus, legatis, donationibus, rebus, et bonis ad illos legitime spectantibus, et quæ in futurum quomodolibet spectare poterunt, et per Sedem apostolicam, illiusque legatos, aut nuncios, imperatores, reges, reginas, principes, et alios utriusque sexus Christifideles quoscumque, ac intuitu, et contemplatione religionis, seu status regularis, et quamdiu illa, seu illæ inibi vigerent, concessis, donatis, relictis, legatis, et elargitis, nec non recognitionibus annuis, in quacumque re consistentibus, in omnibus, et per omnia perinde, ac si status regularis hujusmodi minime immutatus esset, salvis et illæsis remanentibus dicta apostolica auctoritate, etiam perpetuo reducimus, et immutamus.

Abbas, superiores, et monachi professi ab omni religiosa observantia dispensantur.

§. 5. Dictique monasterii abbatem, et priorem, ac monachos eorumdem ordinis, et congregationis expresse professos præfatos ab omni, et quacumque observantia, vinculo, nexu, seu obligatione ipsis imminente ex regula, constitutionibus, ordinationibus, definitionibus, institutis, et consuetudinibus dicti monasterii, et respective eorumdem ordinis, et congregationis, nec non a quacumque votorum per eos emissorum observantia, castitatis voto dumtaxat excepto, ita quod ipsi deinceps habitum regularem, aut aliquid regularitatem indicans deferre, vel facere, aut constitutiones, ritus, mores, et statuta eorumdem ordinis, et congregationis, etiam quoad victum, jejuniorum observantiam, aut quævis alia, ad quæ ex virtute regulæ, et professionis per eos emissæ, vel consuetudine, aut quavis alia ex causa respective tenentur, observare, et facere minime teneantur, sed in habitu, tonsura, incessu, victu, moribus, ac divinorum officiorum celebratione se conformare valeant, et debeant cum clericis, et presbyteris mere sæcularibus ubique

libere, et licite, et sine alicujus transgressionis, apostasiæ, inhabilitatis, vel infamiæ periculo, aut metu, vel aliarum quarumcumque pœnarum, et censurarum per regulam ordinis, et congregationis hujusmodi instituta, et apostolicas constitutiones, quomodolibet comminatarum, vel inflictarum incursu, ita ut in posterum idem abbas, et prior, ac monachi præfati in omnibus, et per omnia clerici, seu presbyteri sæculares reipsa sint, ac pro talibus vere, omnino, ac in omnibus, et per omnia habeantur, et reputentur simili apostolica auctoritate absolvimus, et totaliter liberamus. Nec non in præfato monasterio abbati, et priori, ac monachis ejusdem ordinis, et congregationis hujusmodi expresse professis præfatis ad statum sæcularem, ut præfertur, redactis, ut ipsi, et eorum quilibet ad instar clericorum, seu presbyterorum sæcularium, abbas videlicet præfatæ ecclesiæ Corbejensis in cathedralem episcopalem, ut infra erigendæ in episcopum præfici; prior vero infrascriptum decanatum, ac unum, et unam insimul, reliqui vero monachi præfati alios infrascriptos canonicatus, et præbendas capitulares pariter ut infra erigendum, ac erigendas, eisque etiam ut infra conferendum, et conferendas, et deinceps alia quæcumque, et qualiacumque cum cura, et sine cura sæcularia, et quorumvis ordinum regularia beneficia ecclesiastica, et sæcularia, videlicet canonicatus, et præbendas, dignitates etiam majores, et principales, personatus, administrationes, et officia etiam curata, et electiva in cathedralibus, metropolitanis, collegiatis, aliisque ecclesiis, seu si parochiales ecclesiæ, vel earum perpetuæ vicariæ. Regularia vero beneficia hujusmodi, monasteria etiam consistorialia, prioratus, et præpositurae etiamsi conventuales fuerint, si eis alias canonice conferantur, vel apostolica auctoritate præfata commendentur, aut si ipsi eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, et instituantur in eisdem sæcularia videlicet in titulum, regularia vero beneficia hujusmodi in commendam recipere, et dummodo plura simul non sint, quamque a concilio Tridentino permittuntur quoad vixerint, ac quilibet eorum respective vixerit ad formam aliorum presbyterorum sæcularium retinere; nec non quascumque pensiones annuas super similium, vel dissimilium beneficiorum ecclesiasticorum sæcularium, vel regularium fructibus, redditibus, proventibus, ac etiam distributionibus quotidianis apostolica eis auctoritate præfata reservandas etiam quoad vixerint, et quilibet eorum respective vixerit, percipere, exigere, levare, ac in eorum respective usus, et utilitatem convertere respective libere, et licite valeant, ac tam de redditibus, et assignamentis annuis per eos ad præsens percipi solitis, quam de eorum propriis rebus, et bonis post sæcularizationem hujusmodi acquirendis, in cujuscumque personæ eis benevisæ de jure tamen capacis favorem, et commodum libere, et licite testari, seu alias disponere, non autem succedere, seu obtinere successiones ab intestato. Ita ut abbas, prior, ac monachi ad statum sæcularem hujusmodi, ut præfertur, redacti, præfati, nec legitimam, aut quidquam aliud quoad eorum respective parentes, consanguineos, sive ad alios etiam extraneos ratione professionis per eos emissæ, seu renunciationis ab eis factarum quomodolibet tam ab intestato, quam ex donationibus, contractibus, testamentis, aut qualitercumque hactenus devolutum sit, vel deinceps devolvi contigerit prætendere possint; sed legata, ac bona, et jura ex testamento, et donationibus sive inter vivos, sive causa mortis, et quibuscumque licitis contractibus acceptare, acquirere, ac similiter de eis disponere valeant pari apostolica auctoritate concedimus, et indulgemus.

Titulus monasterii destruitur, et non collativus declaratur.

§. 6. Præterea primodictum monasterium cui cura imminet animarum, ac cujus fructus, redditus, et proventus ad trecentum florenos auri in libris cameræ apostolicæ, ut similiter accepimus, taxati reperiuntur, illiusque abbatialem, et conventualem respective mensas, ac dignitatem ipsam abbatialem, omnimodamque jurisdictionem præfatam eidem dignitati abbatiali, ut præfertur, annexam, primodictique monasterii titulum collativum, nomen, denominationem, naturam et essentiam monasterii collativi; ita quod illud ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativum esse desinat, et de cætero uti tale in titulum collativum, seu commendam quavis auctoritate conferri, seu concedi, aut impetrari, vel alias de illo quovis modo disponi amplius nequeat, et si illud ullo umquam tempore conferri, aut commendari, seu impetrari, vel alias de illo quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, commendæ, aliæque disposi-

tiones de illo pro tempore quomodolibet factæ nullæ, et invalidæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant apostolica auctoritate præfata etiam perpetuo supprimimus, et extinguimus.

Civitas Corbejensis episcopalis declaratur.

§. 7. Et insuper præfatam civitatem Corbejensem in civitatem episcopalem Corbejensem similiter nuncupandam cum omnibus juribus, honoribus, et prærogativis, quibus aliæ civitates pontificali sede insignitæ in Germania existentes, et earum cives absque particulari privilegio, vel concessione de more, utuntur, vel gaudent.

Ecclesia monasterii in cathedralem erigitur.

§. 8. Præfatam vero primodicti monasterii, ut præfertur, suppressi, et extincti ecclesiam, quæ cathedralis abbatialis titulo hactenus decorata existit, in cathedralem episcopalem Corbejensem nuncupandam, quæ parochialis, ut antea existat, ecclesiam sub invocatione eorumdem sanctorum Viti, et Stephani martyrum extituram, quæ ex gratiosa concessione venerabili fratri Nostro moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo Moguntino etiam quoad episcopum, et capitulum suffraganea, eique metropolitico jure subjecta esse, et ad quam electio personæ idoneæ per Romanum pontificem pro tempore existentem præfatum in episcopum præficiendæ ad pro tempore existentes capitulum, ac canonicos dictæ ecclesiæ Corbejensis in cathedralem episcopalem ecclesiam per Nos, ut infra, erigendæ, etiam ut infra spectare debeat, et in ea sedem episcopalem pro uno deinceps episcopo Corbejensi nuncupando, qui eidem cathedrali ecclesiæ Corbejensi, illiusque civitati per Nos ut infra erigendæ, nec non dioecesi Corbejensi, per Nos pariter, ut infra assignandæ præsit, synodum convocet, ac omnia, et singula jura, et officia episcopalia habeat, et exerceat, cum suis capitulo, ut infra efformando, mensa episcopali, cæterisque cathedralibus, et episcopalibus insigniis, juribus, jurisdictionibus, præeminentiis, prærogativis, privilegiis, inter quæ illud etiam capituli habendi sessionem, et votum in comitiis, et statuum conventibus, aliisque honoribus, gratiis, favoribus, et indultis realibus, personalibus, et mixtis, quibus alia capitula ecclesiarum cathedralium in Germania, eorumque præsules insimul sacri Romani imperii principes non tamen ex speciali indulto apostolico, seu privilegio particulari gaudent, et gaudere poterunt.

Erectio capituli.

§. 9. Et in ea pariter unum decanatum, qui inibi dignitas post pontificalem major, et unica existat, ac per unum, et eumdem ex præfatæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis, per Nos ut infra erigendæ canonicis, et una cum suis canonicatu, et præbenda per Nos pariter, ut infra erigendis absque dispensatione apostolica obtineri, quique electionis futuri, et pro tempore existentis episcopi Corbejensis, ac eorumdem capituli, et canonicorum dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos ut infra erigendæ, pariter ut infra esse debeat pro uno presbytero futuro in ea decano, qui capitulo dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos ut infra erigendæ, præsideat, primumque locum in choro, processionibus, et quibuscumque aliis functionibus ipsius cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos ut infra erigendæ habeat, aliisque omnibus, et singulis honoribus, insigniis, privilegiis, et antelationibus, quæ de jure debentur frui, et gaudere debeat. Nec non duodecim canonicatus capitulares nuncupandos, totidemque præbendas, quorum unus, et una cum dicto decanatu perpetuis futuris temporibus absque dispensatione apostolica præfata obtineri debeat pro totidem clericis, seu presbyteris, qui de nobili genere procreati, et ex ordine equestri existant futuris in ea canonicis capitularibus nuncupandis, qui apud dictam cathedralem ecclesiam Corbejensem per Nos, ut infra, erigendam personaliter residere, illique in divinis ad instar aliarum cathedralium ecclesiarum in Germania hujusmodi existentium deservire, ac omnibus, et singulis legatis piis, anniversariis, fundationibus, et quibuscumque aliis oneribus ad præfatum monasterium per Nos, ut præfertur suppressum, et extinctum, seu illius ecclesiam in cathedralem episcopalem per Nos etiam, ut infra erigendam respective incumbentibus satisfacere teneantur, quique jus habeant deputandi in dictis præposituris ad sæcularem statum per Nos, ut præfertur, redactis respective vicarios ab ordinario loci prius examinandos, et ad curam animarum exercendam approbandos, ad eorum tamen nutum, ut antea, amovibiles extituros, qui curam animarum parochianorum dictarum respective præpositurarum ad sæcularem statum per Nos, ut præfertur, redactarum cum

congrua mercedis assignatione ex præfatis primodicti monasterii per Nos, ut præfertur, suppressi, et extincti fructibus, redditibus, ac proventibus arbitrio futuri episcopi Corbejensis præfinienda exercere teneantur. Ac itidem alios tres canonicatus domicellares nuncupandos; ad numerum vero duorum, ut infra, reducendos nunc pro tribus, in posterum vero pro duobus clericis futuris in ea canonicis domicellaribus nuncupandis, qui apud dictam cathedralem ecclesiam Corbejensem per Nos, ut infra, erigendam residere, aut illius choro inservire minime teneantur, neque ullis proventibus, ac emolumentis fruatur, donec, et quousque unum, et unam ex dictis canonicatibus, et præbendis capitularibus per Nos, ut infra, erigendis, in successivis illorum respective vacationibus, dummodo tamen tum temporis in aliquo ex sacris ordinibus constituti reperiantur, in vim optionis assequantur. Cum hoc pariter, quod statim ac unus ex dictis tribus canonicatibus domicellaribus per Nos, ut infra, erigendis per optionem hujusmodi, aut alias vacaverit, nemini conferri possit, sed canonicatus domicellares hujusmodi ad numerum duorum tantum reducantur, quorum tamen canonicatuum, et præbendarum capitularium, nec non canonicatuum domicellarium respective nuncupandorum hujusmodi collatio per futuros, et pro tempore existentes canonicos capitulares dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos, ut infra erigendæ, turno inter eos statuendo alternatim cum apostolica Sede, Romanoque pontifice pro tempore existente, ut infra fieri debebit. Nec non sex vicariatus, seu sex simplicia, personalem tamen residentiam requirentia beneficia ecclesiastica pro sex clericis de gremio alumnorum seminarii puerorum ecclesiastici Corbejensis, ut infra, instituendi, eligendis, futuris in ea vicariis, seu beneficiatis, qui choro dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos, ut infra, erigendæ inservire teneantur, atque ad nutum futuri, et pro tempore existentis episcopi Corbejensis amovibiles esse debeant, quique decanus et canonici, ac vicarii, seu beneficiati præfati capitulum dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis amovibiles esse debeant, quippe decanus, et canonici, ac vicarii, seu beneficiati præfati capitulum dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos, ut infra erigendæ constituant. Ac demum unam vicariam curatam pro uno presbytero ab ordinario loci prius examinando, et ad curam animarum exercendam approbando, qui curam animarum parochianorum dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis, quæ etiam parochialis, ut antea existat, per Nos, ut infra, erigendæ similiter cum congrua mercedis assignatione arbitrio futuri episcopi Corbejensis ex præfati dicti monasterii, ut præfertur suppressi et extincti fructibus, redditibus, et proventibus præfinienda exercere debeat; quique pariter ad nutum futuri, et pro tempore existentis episcopi Corbejensis amovibilis existat, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo erigimus, et instituimus.

Providetur erectioni præbendarum theologalis, et poenitentiariæ.

§. 10. Ne autem propter theologalis, ac pœnitentiariæ respectivæ præbendarum institutionis defectum illud officiorum exercitium, quæ tum ad populi eruditionem sacrarum scripturarum sensu, tum ad animarum quietem, et tranquillitatem comparandam satis expedire noscuntur in dicta cathedrali ecclesia Corbejensi per Nos, ut præfertur, erecta unquam omittatur, duobus professoribus in seminario puerorum ecclesiastico in dicta civitate Corbejensi instituendo a futuro, et pro tempore existente episcopo Corbejensi deputandis, et ad illius quoque nutum amovibilibus extituris onus, primo videlicet theologi, secundo vero professoribus præfatis pœnitentiarii respective munera, seu officia in dicta cathedrali ecclesia Corbejensi per Nos, ut præfertur, erecta ab eis respective exercenda apostolica auctoritate præfata etiam perpetuo injungimus, atque imponimus.

Descriptio territorii mensæ Corbejensis.

§. 11. Ac præfatam civitatem Corbejensem, nec non integrum, et separatum illius territorium, cui finitimi reperiuntur ducatus Brunowicensis, electoratus Haunoveriensis, principatus Lippensis, et episcopatus Paderbonensis, et in quo infrascripta loca, et pagi continentur, videlicet, Huxarias urbs principalis, Lucktringen, Albaxen, Nachtigal, Donaubourg, Sthahl Berixen, Fabckenfluckt, Furstenau, Brenckausen, Obenhausen, Bosseborn, Dietmarsen, Bruchhausen, Otbergen, Amelungsen, Godelheim, Werden, Brenck, Blonckenau, et Mengadersen, et alia loca, si quæ sint cum omnibus, et singulis parœcis, præposituris, beneficiis, monasteriis, conventibus, ac omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus in eis respective degentibus personis, et incolis tam laicis, quam clericis, presbyteris, beneficiatis, et re-

ligiosis cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant dictæ ecclesiæ episcopali Corbejensi per Nos, ut præfertur, erectæ, illiusque futuro præsuli pro suis civitate, territorio, diœcesi, clero, et populo, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus apostolica auctoritate præfata etiam perpetuo assignamus; ita ut civitas Corbejensis, et territorium præfatum futuro, et pro tempore existenti episcopo Corbejensi subiecta sint, qui jurisdictionem omnem episcopalem, sive ordinariam, sive delegatam in personas tam sæculares, quam ecclesiasticas, et regulares, non tamen exemptas, nec non in ecclesias, præposituras, monasteria, et loca pia quæcumque prout aliis episcopis competit libere, et absolute ad formam decretorum concilii Tridentini, et apostolicarum constitutionum exercere valeat.

Providetur decentibus habitationibus pro episcopo, capitulo, et seminario.

§. 12. Nec non pro decenti futuri, et pro tempore existentis episcopi, ac capituli Corbejensis, et seminarii præfati, ut præfertur, instituendi respective habitatione, ædes, et mansiones primodicti monasterii per Nos, ut præfertur, suppressi, et extincti, quæ hactenus abbatis, et monachorum per Nos ad sæcularem statum, ut præfertur redactorum commode inservierunt, ad hunc effectum idonee aptandas, et respective distribuendas apostolica auctoritate præfata itidem perpetuo adscribimus, et constituimus.

Assignatio redituum pro mensa episcopali, et pro manutentione ecclesiæ, et seminarii.

§. 13. Pro mensæ autem episcopalis Corbejensis, ac decanatus, et singulorum canonicatuum, et præbendarum capitularium, et vicariarum, seu beneficiorum per Nos, ut præfertur, respective erectorum, et institutorum, ac ejusdem seminarii, ut præfertur instituendi respective dote, nec non congrua, et sufficienti tam futuri episcopi Corbejensis, quam decanatum, et singulos canonicatus, et præbendas capitulares, et vicarias, seu beneficia hujusmodi per Nos, ut præfertur, erectum, et erectos, ac erectas, sive erecta respective obtinentium; dictique seminarii alumnorum, ac duorum professorum præfatorum, aliorumque inservientium substentatione, onerumque eis respective incumbentium supportatione; ac pro ipsius cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos, ut præfertur, erectæ fabricæ manutentione ex fructibus, redditibus, ac proventibus primodicti monasterii per Nos, ut præfertur, suppressi, et extincti mensæ episcopali Corbejensi, videlicet unam decem et octo millium, ac quingentorum florenorum monetæ illarum partium, et aliorum si qui ex præfatis primodicti monasterii per Nos, ut præfertur suppressi, et extincti fructibus, redditibus, et proventibus, deductis aliis infrascriptis assignationibus superint. Cum hoc tamen quod præfatas vicarias, seu præfata beneficia per Nos, ut præfertur erectas, sive erecta pro tempore respective obtinentibus, simulque dictis duobus professoribus dicti seminarii, ut præfertur, instituendi victum, et habitationem respective in eodem seminario suppeditari etiam respective debeat. Nec non decanatui aliam insimul cum canonicatu noningentorum florenorum hujusmodi; cuilibet vero ex aliis undecim canonicatibus, et præbendis capitularibus aliam septingentorum florenorum similium, ac cuilibet ex dictis vicariis, seu beneficiatis hujusmodi per Nos respective, ut præfertur, erectis, et institutis aliam quinquaginta quatuor florenorum parium præter victum, et habitationem illas, seu illa respective obtinentibus, ut supra suppeditandum; ac præfatis duobus professoribus in dicto seminario, ut præfertur, instituendo pro tempore deputandis, primo videlicet, qui theologi aliam ducentorum florenorum hujusmodi; secundo vero qui pœnitentiarii respective munus in dicta cathedrali ecclesia Corbejensi per Nos, ut præfertur, erecta exercebunt, aliam centum florenorum similium præter victum, et habitationem eis, ut supra respective suppeditandam; ac seminario, ut præfertur instituendo præfato etiam pro dictis assignationibus, et substentatione dictorum duorum professorum una cum alumnis, seu seminaristis aliam insimul mille, et quingentorum florenorum similium; ac demum fabricæ dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos, ut præfertur, erectæ, aliisque ministris, et inservientibus præfatis reliquam mille, et quadrigentorum florenorum similium respective summas eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo respective reservamus, constituimus, et assignamus.

Electio episcopi, et capitularium sanctæ Sedi reservatur.

§. 14. Ac futuris, et pro tempore existentibus decano, et canonicis dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos, ut præfertur, erectæ jus eligendi ad præfatam ecclesiam Corbejensem, quoties illam pro tempore quomodocumque, non tamen apud Sedem apostolicam vacare contigerit, excepta tamen hac prima vice, in qua dictæ ecclesiæ

Corbejensis per Nos, ut præfertur, erectæ a primæva illius erectione hujusmodi vacantis provisio in personam præfati dicti monasterii per Nos, ut præfertur, suppressi, et extincti abbatis per Nos ad sæcularem statum redacti, et in episcopum Corbejensem designati per Nos, et Sedem apostolicam libere, et absolute facienda erit, personam idoneam per Romanum pontificem pro tempore existentem in episcopum Corbejensem, iisdem modo, et forma, quibus episcopi aliarum ecclesiarum in Germania existentium a Sede apostolica præfata præfici consueverunt præficiendam; ita tamen ut tam pro hac prima vice, quam in futuris omnibus electionibus processus informativus super electi qualitatibus de jure pariter, et de more confici, ac deinde propositio in consistorio, et literarum apostolicarum expeditio super confirmatione electionis hujusmodi, et respective dictæ ecclesiæ Corbejensis provisione fieri debeat. Nec non tam futuro, et pro tempore existenti episcopo, quam præfatis canonicis ecclesiæ Corbejensis simile jus eligendi ad præfatum decanatum per Nos, ut præfertur, erectum, et institutum in futuris illius vacationibus quomodolibet occurrentibus, non tamen pro hac prima vice a primævis illius erectione et institutione hujusmodi vacantem personam pariter idoneam de gremio capituli, et canonicorum regularium dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos, ut præfertur, erectæ desumendum. Cum hoc tamen, quod ad dictum decanatum pro tempore electus confirmationem electionis hujusmodi infra sex menses ex tunc proximos ab eadem Sede apostolica reportare, literasque apostolicas provisionis decanatus hujusmodi expedire teneatur.

Alternativa canonicis concessa super collatione canonicatuum.

§. 15. Ac itidem eisdem decano, et aliis canonicis capitularibus dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos, ut præfertur, erectæ jus perpetuo conferendi per turnum inter eos statuendum omnes, et singulos canonicatus, et præbendas capitulares, ac canonicatus quoque domicellares hujusmodi per Nos, ut præfertur, erectos, et institutos personis idoneis, ut supra qualificatis alternatim cum apostolica Sede præfata, Romanoque pontifice pro tempore existente ad formam concordatorum dudum inter Sedem apostolicam præfatam ex una, et inclytam nationem Germanicam ex altera partibus initorum, videlicet dum illos in posterum in februarii, aprilis, junii, augusti, octobris, et decembris mensibus ordinariis collatoribus per concordata hujusmodi reservatis vacare contigerit. Dictorum vero canonicatuum, et præbendarum capitularium, ac canonicatuum domicellarium respective dispositione in reliquis sex alternis mensibus Sedi apostolicæ præfatæ reservata remanente. Præfato vero dicti monasterii, per Nos, ut præfertur, suppressi, et extincti abbati per Nos ad sæcularem statum, ut præfertur, redacto, et in episcopum Corbejensem designato jus nominandi ad præfatos tres canonicatus domicellares pro hac prima vice tantum a primævis illorum erectione, et institutione hujusmodi vacantes personas idoneas clericali saltem charactere insignitas, cum hoc tamen quod personæ ad præfatos canonicatus domicellares hujusmodi ab eo nominatæ literas apostolicas illorum respective provisionis, absque tamen ulla expensarum solutione expedire teneantur, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus apostolica auctoritate præfata respective reservamus, concedimus, et assignamus.

Concessio privilegiorum, et immunitatum perfruendarum a capitulo

§. 16. Et insuper eisdem futuris decano, et canonicis dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos, ut præfertur, erectæ, ut ipsi omnibus, et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, præeminentiis, insigniis, prærogativis, et juribus, quibus aliæ cathedrales ecclesiæ in Germania præfata existentes, earumque capitula in ecclesiasticis perfungendis functionibus, aut alias de jure, usu, consuetudine, privilegio, non tamen ex peculiari indulto, aut privilegio particulari, aut titulo oneroso acquisitis utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent pariformiter, et absque ulla prorsus differentia in omnibus, et per omnia, perinde ac si illa eis principaliter, et in specie concessa essent, dummodo tamen illa sint in usu, ac non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini præfati decretis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis præfatis non repugnent uti, frui, potiri, et gaudere.

Facultas condendi statuta.

§. 17. Eisdemque decano, et canonicis, ut ipsi, eorumque in decanatu, et canonicatibus, ac præbendis præfatis per Nos, ut præfertur erectis, et institutis successores capitulariter congregati, quæcumque statuta, ordinationes, capitula, felix regimen dictæ ca-

thedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos, ut præertur erectæ, prosperamque illius personarum, rerum, et bonorum directionem, et officiorum celebrationem concernentia, ac alia utilia, et necessaria, licita tamen, et honesta, sacrisque canonibus, dictique concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis prædictis minime contraria, a futuro tamen, et pro tempore existente episcopo Corbejensi prius examinanda, et approbanda, ac etiam reformanda facere, edere et concedere, seu alia de novo prævio examine, et approbatione, ac etiam reformatione hujusmodi similiter condere, illaque ab illis, ad quos spectabit inviolabiliter sub pœnis in contravenientes statuendis observari, et adimpleri facere libere, et licite respective possint apostolica auctoritate præfata itidem perpetuo concedimus, et indulgemus, eisque plenam, liberam, et omnimodam potestatem, licentiam, et facultatem concedimus, et impertimur.

Omne remedium juris submovetur, quod facere posset ad remorandam executionem præsentium apostolicarum literarum.

§. 18. Decernentes insuper præsentem Nostrum motum proprium, easdemque præsentes literas semper, et perpetuo validum, et efficacem, ac validas, ac efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, ac singulis, ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica et legitima etiam ex eo, quod causæ propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, vel quolibet alio quantumvis magno, substantiali, substantialissimo, inexcogitato, inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda forma servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio prætextu, aliaque ratione, et causa etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra hujusmodi, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illum, et illos restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu pari, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine similibus concesso, et impetrato quempiam uti, seu se juvari in judicio, et extra illud posse, neque eumdem præsentem Nostrum motum proprium, easdemque præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter, ac quibuslibet de causis etiam sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi in eis de eisdem præsentibus, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutum, repositum, et plenarie reintegratum, ac restitutas, repositas, ac plenarie reintegratas fore, et esse, sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictæque Sedis nuncios, aliosque quoscumque quavis dignitate, potestate, et auctoritate, facultate, prærogativa, et privilegio fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari etiam irritum, et inane decernimus.

Dispositiones speciales super nonnullis

§. 19. Et nihilominus decanatum præfatum, ac unum, et unam ex dictis duodecim canonicatibus, et præbendis

exerectis canonicatibus.

capitularibus per Nos, ut præfertur, erectis, et institutis.

Ludovico . . . ac alium et aliam Gaspari, ac alium, et aliam Carolo, ac alium et aliam Philippo, ac alium, et aliam Angario, ac alium, et aliam Antonio, ac alium et aliam Francisco, ac alium et aliam Remberto, ac alium, et aliam Amando, ac alium, et aliam Ludolpho, ac alium, et aliam Warino, ac reliquum, et reliquam respective canonicatus, et præbendas capitulares hujusmodi a primæva illius, et illorum erectione, et institutione hujusmodi vacantem, et vacantes, cum illi, et illis respective adnexis, et quoad canonicatus, et præbendas capitulares, ut præfertur, erectos, et erectas hujusmodi cum plenitudine juris canonici, ac omnibus juribus, et pertinentiis respective suis Benedicto præfatis eadem apostolica auctoritate conferimus, ac de illo, et illis etiam respective providemus.

Præceptum de præbendo juramento fidelitatis.

§. 20. Nec non Ludovicum recepto prius ab eo Nostro, et Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solito juramento, juxta formam, quam sub Bulla Nostra mittimus introclusam in decanatus, ipsumque Ludovicum etiam in unius, et Gasparem in alterius, et Carolum in alterius, et Philippum in alterius, et Angarium in alterius, et Antonium in alterius, et Franciscum in alterius, et Rembertum in alterius, et Amandum in alterius, et Ludolphum in alterius, et Warinum in alterius, ac Benedictum, seu eorum respective procuratores in reliqui canonicatuum, et præbendarum capitularium per Nos, ut præfertur erecti, ac erectorum, ac erectarum hujusmodi, respective corporalem possessionem induci, et respective inductos defendi, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem. Ac eumdem Ludovicum ad dictum decanatum per Nos, ut præfertur, erectum, ut est moris admitti; ipsumque etiam Ludovicum ad unam, et Gasparem ad aliam, et Philippum ad aliam et Angarium ad aliam, et Antonium ad aliam, et Franciscum ad aliam, et Rembertum ad aliam, et Amandum ad aliam, et Ludolphum ad aliam et Warinum ad aliam, ac Benedictum, vel pro eis procuratores præfatos ad reliquam respective præbendas per Nos, ut præfertur, erectas hujusmodi in dicta cathedrali ecclesia Corbejensi per Nos, ut præfertur, erecta in canonicos respective recipi, et in fratres, stallo eis etiam respective in choro, ac loco in capitulo ejusdem cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos; ut præfertur, erectæ cum dicti juris plenitudine assignatis, eisque respective de decanatus, ac singulorum canonicatuum, et præbendarum capitularium per Nos, ut præfertur, erecti, et erectorum, ac erectarum hujusmodi etiam respective fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et emolumentis universis integre responderi facere eadem apostolica auctoritate mandamus, contradictores quoslibet auctoritate Nostra præfata appellatione postposita compescendo.

Derogatio contrariorum.

§. 21. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones, et applicationes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus pro tempore concessis, et concedendis, ac alias etiam pluries approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata præsentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide ad præmissorum omnium, et singulorum validissimum effectum, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Leges servandæ in novis provisionibus.

§. 22. Aut si aliqui apostolica, vel alia quavis auctoritate in dicta cathedrali ecclesia Corbejensi per Nos, ut præfertur, erecta in canonicos sint re-

cepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus, et canonicatibus, et præbendis dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos, ut præfertur, erectæ speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, aut legatorum ejus literas impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus Ludovicum in præfati decanatus, ac unius ex dictis duodecim canonicatibus, et præbendis capitularibus per Nos, ut præfertur, erectis, et Gasparem in alterius, et Carolum in alterius, et Philippum in alterius, et Angarium in alterius, et Antonium in alterius, et Franciscum in alterius, et Rembertum in alterius, et Amandum in alterius, et Ludolphum in alterius, et Warinum in alterius, ac Benedictum præfatos in reliqui respective canonicatuum, et præbendarum capitularium per Nos, ut præfertur, erectorum hujusmodi respective assecutione volumus anteferre, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem dignitatum, ac canonicatuum, et præbendarum, vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, seu si quibusvis communiter, aut divisim ab eadem sit Sede apostolica indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint; quodque de dignitatibus, ac canonicatibus, et præbendis dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos, ut præfertur, erectæ, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et quibuslibet aliis privilegiis, gratiis, concessionibus, indultis, et literis apostolicis specialibus, vel generalibus quorumcumque tenorum existant, per quæ eisdem præsentibus non expressis, vel totaliter non insertis effectus earumdem, præsentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in Nostris literis mentio specialis. Seu si Ludovicus, et Gaspar, et Carolus, ac Philippus, et Angarius, ac Antonius, et Franciscus, et Rembertus, et Amandus, ac Ludolphus, et Warinus, ac Benedictus præfati præsentes non fuerint ad præstandum de observandis statutis, et consuetudinibus dictæ cathedralis ecclesiæ Corbejensis per Nos, ut præfertur, erectæ solitum juramentum, dummodo in eorum absentia per procuratores idoneos, et cum ad illam accesserint corporaliter illud respective præstent.

*Reservatio specialis.*

§. 23. Volumus autem, quod præfatus Ludovicus antequam dicti decanatus possessionem adipiscatur fidem catholicam, juxta articulos jampridem a Sede apostolica præfata propositos in manibus præfati nuncii, sive alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ ab eo specialiter subdelegandæ emittere, illamque sic emissam sine mendis cum sui, et dicti nuncii, seu ejus subdelegati subscriptione quantocitius transmittere omnino teneantur, alioquin decanatus præfatus vacet eo ipso.

*Præceptum de inscribendis fructibus mensæ in libris cameræ apostolicæ.*

§. 24. Volumus etiam quod dicta ecclesia Corbejensis per Nos, ut præfertur, erecta ad trecentos florenos auri taxari, et taxa hujusmodi in libris cameræ apostolicæ describi debeat.

*Delegatio nuncii apostolici in executorem literarum apostolicarum.*

§. 25. Nosque autem per easdem præsentes in executorem pro earumdem præsentium executione præfatum nuncium ad tractum Rheni apostolica auctoritate præfata constituimus, et deputamus; eidemque nuncio facultatem, ut ipse quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam pro hujusmodi executionis effectu subdelegare, ac tam præfato nuncio, quam personæ ab eo subdelegandæ hujusmodi facultatem quoque, ut ipse, seu ipsa super quacumque oppositione in actu executionis hujusmodi quomodolibet oritura, servatis tamen, quæ fuerint de jure servanda etiam definitive pronuntiare libere, et licite valeat apostolica auctoritate præfata concedimus, et impartimur.

*Sanctio poenalis.*

§. 26. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, reductionis, immutationis, alterius absolutionis, liberationis, concessionis, indulti, suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, injunctionis, impositionis, adscriptionis, constitutionis, reservationis, assignationis, alterius etiam reservationis, concessionis, et assignationis; nec non impartitionis, decreti, collationis, provisionis, mandati, derogationis, voluntatis, et alterius posterioris concessionis, et impartitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum

ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, nono kalendas maii pontificatus Nostri anno decimo octavo.

---

Dat. die 15 maii 1792 anno XVIII.

## DCCCXCVII.

Nominatio ministri generalis ordinis fratrum minorum sancti Francisci.

### Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Ratio cur suspensa convocatione capituli generalis ad nominationem pontificiam perventum est.

§. 1. Etsi cupimus, atque ab ipsis pontificatus Nostri exordiis semper studuimus, regularium ordinum constitutiones, et statuta sarta, tectaque servari, nihilominus ex incumbentis humilitati Nostræ apostolicæ solicitudinis officio interdum, et quoties eorumdem ordinum utilitas, ac commodum exposcit, ab hoc proposito declinandum esse duximus. Et quidem postquam fel. rec. Clemens pp. XIV. prædecessor Noster ob tunc currentia christianæ reipublicæ tempora anno MDCCLXXIV. capitulum generale totius ordinis fratrum minorum s. Francisci, sexto quoque anno juxta constitutiones, et statuta ordinis præsenti auctoritate apostolica confirmata convocandum, in proximum triennium distulit, Nos pariter exacto triennio hujusmodi, cum eædem, immo urgentiores vigerent causæ capituli generalis hujusmodi convocationem in aliud tempus, et ad Nostrum, et Sedis apostolicæ beneplacitum protraximus, et quemadmodum memoratus Clemens prædecessor, sic Nos bo. mem. Paschalem a Varisio, dum vixit, fratrem dicti ordinis expresse professum in ministrum generalem ejusdem ordinis confirmavimus. Verum cum novissime dictus Paschalis a Varisio supremum diem obierit, eo devenimus, ut capitulum generale hujsmodi semel, ac iterum, ut præfertur, protractum, nunc in conventu Aracœlitano almæ Nostræ urbis foret convocandum. Nihil quidem maluissemus, quam ut dictum capitulum generale convocaretur: ast præter difficillimas, ac persistentes Catholicæ Ecclesiæ adversitates, novæ etiam perturbationes, æque acriores accesserunt ad regularium disciplinam evertendam, adeo ut ab hoc consilio, per quam abduxerint. Quamobrem electo a Nobis dilecto filio Carolo Josepho a Janua in præsidentem discretorii generalis, et quoad usque officium ministri generalis vacat, simul cum eodem discretorio ordinem hujusmodi administret; interea dum hærebamus quid agendum, quidve statuendum foret; inclyta familia ultramontana dicti ordinis, ex qua novus minister generalis juxta memoratas constitutiones, et statuta seligendus est a Nobis omnem sustulit dubitationem. Siquidem ipsa intelligens, quam magnæ foret difficultatis, et injuriosis hisce temporibus capitulum generale indiceretur, utpote quod magna vocalium pars ad illud non accederet, ne sese gravibus committeret periculis; a Nobis expostulavit, ut aliquos ex suis Nobis proponere liceret, ac designatum tum ministrum generalem, tum cæteros familiæ ultramontanæ officiales per Nos eligi summopere desiderabat.

Nominatio commissarii generalis, in ministrum generalem, et aliorum superiorum.

§. 2. Nos igitur, qui ordinem plurimum paterna charitate in Domino prosequimur, ac quidquid ad illius commodum quomodolibet pertinere dignoscitur, curare studemus, cum eidem ordini proficuum, atque utile futurum fore putemus, si ministrum generalem, cæterosque officiales in capitulo generali deputandos, auctoritate Nostra apostolica nominemus, ac constituamus; cum autem muneribus, et officiis debitis provinciis ultramontanis insimul adjungenda sint alia pertinentia ad religiosas componentes provincias Citramontanas, qui pari anhelant studio, ne diminutum cogatur generale capitulum, et Nos in istorum officiis tribuendis, de ipsorum meritis, et qualitatibus minus incerti simus: hinc vobis utriusque familiæ annuere volentes, ac singulares personas, quorum interest a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendi harum serie absolventes, et absolutas fore censentes; motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine dilectos filios Joachim Compañy actualem

commissarium generalem familiæ ultramontanæ in ministrum generalem totius ordinis fratrum minorum sancti Francisci prædicti: Didacum a s. Maria ex - provincialem provinciæ Angelorum dicti ordinis in procuratorem generalem, Joannem de Moya ex - provincialem provinciæ s. Michaelis de Estremadura infra Tagum, et Joannem Izaguirre actualem provincialem provinciæ Cantabriæ in definitores generales; Damianum Lopez vero provincialem provinciæ s. Petri de Alcantara in procuratorem generalem; ac Josephum a s. Petro de Alcantara ex provincialem provinciæ s. Pauli in difinitorem generalem discalceatorum, et recollectorum: Joannem Diaz Arjona provincialem provinciæ tertii ordinis Andalusiæ in definitorem generalem ejusdem tertii ordinis prædicti omnes fratres expresse professos tenore præsentium eligimus, et nominamus. Cum autem per super enunciatos definitores generales completus non sit numerus decem definitorum pertinentium ad provincias ultramontanas; hinc supra designato ministro generali committimus, ut una cum memoratis procuratoribus, et definitoribus generalibus tot eligat ex antedictis provinciis definitores, quot componant integrum decennalem illorum numerum: ita tamen quod cum alias fel. rec. Clemens papa XIV. prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die ix. augusti MDCCLXXI. expeditas literas fratres ordinis prædicti observantes provinciarum Galliæ, prævia illorum separatione, atque exemptione a quacumque jurisdictione, et subjectione ministro generali fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum prædicto ministro generali fratrum minorum ordinis s. Francisci conventualium nuncupatorum subjecerit, eidemque ordini aggregaverit, ac præterea cum cœterorum fratrum ordinis prædicti regni Galliæ, quos vocant observantes, et recollectos, qui adhuc sub jurisdictione, et correctione ministri generalis totius ordinis prædicti persistunt, sistema ob lacrymabilem hodiernum regularium ordinum in regno Galliarum statum penes quasi eversum sit, a memorato ministro generali, et procuratoribus, et definitoribus prædictis ratio habeatur, de imminutione hujusmodi, ac ipsi decernant, num definitores generales nationis Galliæ ex aliis provinciis eligendi sint, vel potius relinquendus sit locus vacuus, et eorum electio reservanda quousque Deo auxiliante catholica religio in illis provinciis ad pristinum exercitium restituatur. Et hæc pro familia dicti ordinis ultramontana; pro familia vero Cismontana dilectos pariter filios Bonaventuram de Placentia ex - procuratorem generalem, lectorem theologum, et actualem definitorem generalem ex provincia reformatorum Bononiensi in commissarium generalem: Carolum Josephum a Janua actualem præsidem discretorii generalis e provincia Januensi, ac lectorem jubilatum in commissarium generalem curiæ, Cœlestinum ab Asculo e provincia Marchiæ lectorem jubilatum ex - provincialem, ex - definitorem generalem, et ordinis prædicti a secretis in procuratorem generalem reformatorum: Josephum Angelum a Carboniano lectorem jubilatum e provincia Romana; Joannem Baptistam a Bergamo e provincia Brixiæ; Augustinum a Neapoli lectorem jubilatum, et cronologum ordinis e provincia terræ Laboris; Thomam a Bronde e provincia Lyecensi; Josephum a Musomele ex provincia Panormi ex - provincialem; Irenæum a Taurino lectorem jubilatum e provincia s. Thomæ Pedemontium in definitores generales ex observantibus; Mathiam a Viturclano ex - provincialem provinciæ Seraphicæ; Laurentium a Grumo actualem provincialem provinciæ Terræ Laboris; Joannem Alphunsum a Mendrisio lectorem theologum scriptorem ordinis, et actualem definitorem provinciæ e provincia s. Didaci Alexandrinensis; Jacoponem Poniski e provincia Poloniæ Majoris in definitores generales ex reformatis omnes pariter fratres dicti ordinis expresse professos tenore pariter eligimus et nominamus.

§. 3. Qui omnes ut supra a Nobis electi, incipiendo a memorato Joachimo ministro generali perdurare debebunt, salva triennali duratione commissarii generalis ex reformatis juxta statuta, et constitutiones dicti ordinis in respectivis suis muneribus usque ad privilegium Pentecostes anni MDCCLXXXXVIII. in quo juxta eorumdem statutorum, et constitutionum dicti ordinis præscriptum capitulum generale erit convocandum. Ad præcavendas porro quæstiones, quæ inter definitores generales contemporanei electi excitari possent de, ac super eorum præcedentia, motu, scientia, et tenore præsentis statuimus, atque decernimus, ut salvo quod in capite 8. §. 54 dictarum constitutionum disponitur, illorum præcedentia ab anterioritate pro- Præfinitio durationis officiorum.

fessionis uniuscujusque desumatur, nulla habita ratione temporis erectionis, et qualitatis provinciæ, nulloque servato discrimine inter observantes, et reformatos; tandem omnibus, et singulis actualibus definitoribus generalibus, qui integrum tempus definitoriatus ad hoc ut ex-definitorum generalium juribus, privilegiis, exemptionibus, aliisque indultis, et gratiis eis alias concessis, uti, frui, et gaudere possint præscriptum nondum exegerunt, ut omnibus, et singulis juribus, ac privilegiis, et indultis hujusmodi, uti, frui, et gaudere possint, et debeant in omnibus, et per omnia perinde ac si tempus prædictum complevissent motu, scientia, et auctoritate, ac tenore præsentis concedimus, et indulgemus; sicuti pariter dilectis filiis Josepho Alberola actuali vice commissario curiæ ex observantium familia, et Vincentio Mondina vice procuratori generali discalceatorum, et recollectorum, qui speciali Nostra auctoritate omnibus, et singulis laudati discretorii generalis actibus interfuerunt, veluti si reapse commissarius curiæ, et procurator generalis respective fuissent, ut omnibus, et singulis juribus, privilegiis, prærogativis, gratiis, et indultis quibus ex commissarii curiæ, et procuratores generales excalceatorum utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, vel poterunt in futurum pari modo uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia perinde ac si ipsi muneribus hujusmodi reapse perfuncti essent, motu, scientia, auctoritate, et tenore præsentis pariter tribuimus, et impertimur.

Præceptum de præstanda obedientia.

§. 4. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis Nostræ, aliisque arbitrio Nostro infligendis pœnis omnibus, et singulis totius ordinis prædicti superioribus, guardianis, fratribus, et personis, cœterisque quibuscumque quocumque nomine nuncupatis, et ad quos spectat, et spectabit in futurum, ut eosdem Joachimum Company, Didacum a sancta Maria, Joannem Izaguirre, Damianum Lopez, Josephum a sancto Petro de Alcantara, Joannem Diaz Arjona, Bonaventuram a Placentia, Carolum Josephum a Janua, Cœlestinum ab Asculo, Josephum Angelum a Carboniano, Joannem Baptistam a Bergamo, Augustinum a Neapoli, Thomam a Bronde, Josephum a Musomele, Iræneum a Taurino, Mathiam a Viturclano, Laurentium a Grumo, Joannem Alphunsum a Mendrisio, et Jacoponem Poniski in suis respective muneribus, illorumque libero exercitio juxta tenorem præsentium frui, et uti sinant, et permittant, eisque in omnibus ad munera, et officia hujusmodi pertinentibus prompte pareant, et obediant, faveantque, et assistant respective.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore; suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque judices, ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis prædicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur præsentibus pro plene, ac sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris

die decima quinta maii millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

---

Dat. die 25 maii 1792 anno XVIII.

## DCCCXCVIII.

Erectio universitatis studii generalis in oppido civitate nuncupato Lagunæ Canariensis diœcesis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. In supereminenti apostolicæ Sedis specula meritis licet imparibus constituti, ac intra mentis Nostræ arcana revolventes quantum ex literarum studiis catholica fides augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur, ac justitia colatur, ad ea, propter quæ literarum studia hujusmodi ubilibet excitentur, etiam humiles personæ eis incumbere desiderantes, id efficere possint, libenter intendimus, et in iis Nostræ sollicitudinis partes propensius impertimur, prout pia Christifidelium præsertim regali dignitate fulgentium accedentia vota exposcunt, Nosque locorum qualitate pensata in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus, quod ipsi ad augendam populorum sibi subditorum spiritualem, et temporalem felicitatem in oppido civitate nuncupato Lagunæ, quæ est civitas principalis insulæ Teneriffæ, unam universitatem studii generalis erigendam esse per suum decretum diei undecimæ martii currentis anni millesimi septingentesimi nonagesimi secundi constituit. Quo porro ejusdem erigendæ universitatis professorum stipendiis aliqua in parte consulatur, duos canonicatus, seu præbendas cathedralis ecclesiæ Canariensis primo vacaturos, seu vacaturas in dotem ipsius universitatis perpetuo uniri summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur co[illegible]derantes ex unione canonicatuum, [illegible] darum hujusmodi per Nos erigendæ dictæ universitati nihil de divino cultu detrahi, quod in eadem cathedrali ecclesia præter octo dignitates quatuordecim canonici eidem ecclesiæ deserviunt, ac liberalium disciplinarum studia promovere, eumdemque Karolum regem catholicum quantum cum Domino possumus specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et illorum singulares personas, quorum interest, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, in prædicto oppido civitate nuncupato Lagunæ, quæ est præcipua civitas insulæ Teneriffæ Canariensis diœcesis universitatem studii generalis, in qua magistri, et professores juxta statuta ab eodem Karolo rege catholico edenda eligendi grammaticam, rethoricam, logicam, philosophiam, theologiam, jus canonicum, et civile, medicinam, mathematicam, aliasque ingenuas disciplinas, atque artes publice docere, et perlegere possint, quosque ibi, vel etiam alibi peracto studiorum curriculo habiles, et idoneos reperiri contigerit, in omnibus facultatibus, quæ inibi, ut præfertur, docebuntur, et legentur ad baccalaureatus etiam formati, licentiaturæ, laureæ, ac doctoratus, nec non magisterii gradus, servata tamen in omnibus, et per omnia forma decretorum Viennensis, et Tridentini conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, promovere, et ipsorum graduum insignia eis exhibere, utque ad dictos gradus rite promoti postea publice, privatimque omnium aliarum universitatum facultates prædictas interpretari, et alios docere, de eis disputari, gradui, seu gradibus hujusmodi convenientes actus exercere, nec non omnibus aliis privilegiis, favoribus, gratiis, prærogativis, et indultis, quibus alii, in aliis quibuscumque universitatibus, et alibi juxta illarum constitutiones, et mores ad gradus prædictos promoti de jure, usu, vel consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum pari modo, et absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia perinde ac si

gradus prædictos in aliis publicis universitatibus prædictis juxta illarum mores, et consuetudines rite suscepissent, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus, et instituimus.

Communicatio privilegiorum.

§. 4. Ac eidem universitati studii generalis sic erectæ, ac institutæ, ejusque præceptoribus, et magistris, professoribus, doctoribus, prælectoribus, scholaribus, officialibus, aliisque personis quibuscumque pro tempore existentibus, ut omnibus, et singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, favoribus, honoribus, prærogativis, præeminentiis, et gratiis gaudeant, quæ in universitates studii generalis jam erectas per viam communicationis, et alias quomodolibet collatæ olim fuerunt, atque iis pari modo, et absque ulla prorsus differentia uti, frui, et gaudere libere, ac licite valeant, auctoritate, et tenore prædictis perpetuo elargimur, et indulgemus.

Concessio bonorum.

§. 5. Præterea cum, sicut præmittitur, ex suppressione, ac unione duorum canonicatuum, seu præbendarum primo vacaturorum, seu vacaturarum, dictæ cathedralis ecclesiæ Canariensis divinus cultus in eadem ecclesia omnino non imminuatur, hinc duos primo vacaturos canonicatus, seu præbendas hujusmodi cum omnibus suis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis quibuscumque, et distributionibus quotidianis ad singulos hosce canonicatus, seu præbendas primo vacaturos, seu vacaturas, ac ad illorum possessores pro tempore existentes spectantibus, et pertinentibus, ac in quibusvis rebus consistentibus, et undecumque provenientibus, ac etiam solis præsentibus, ac divinis officiis, singulisque diurnis, et nocturnis horis interessentibus dari solitis ex nunc, et deinceps perpetuis futuris temporibus, dum scilicet canonicatus, seu præbendæ hujusmodi quomodolibet vacabunt, eidem erigendæ universitati studii generalis auctoritate, et tenore prædictis perpetuo unimus, incorporamus, et applicamus.

Deputatio commissarii apostolici.

§. 6. Quocirca venerabili fratri moderno, ac pro tempore existenti episcopo Canariensi per præsentes committimus, et mandamus, ut duos primo vacaturos canonicatus, seu præbendas hujusmodi ex nunc, prout ex tunc dum scilicet hi canonicatus, seu præbendæ pro tempore vacabunt, universitati studii generalis prædictæ unitos, seu unitas fore, et esse auctoritate Nostra apostolica declaret. Nos enim moderno, et pro tempore existenti episcopo Canariensi omnem, et quamcumque necessariam, et opportunam ad præmissa omnia, et circa ea, quæ ad optatum finem ea perducenda pertinent, faciendi, gerendi, et exequendi, seu exequi mandandi pro sua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris, facultatem auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, ac ordinationibus apostolicis, nec non dictæ cathedralis ecclesiæ Canariensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima quinta maii millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Dat. die 30. maii 1792 anno XVIII.

DCCCIC.

Indulgetur omnibus catholicis episcopis regni Galliarum, ut durantibus hodiernis Gallicanæ ecclesiæ calamitatibus, olea sacra etiam extra diem Cœnæ Domini conficere, et sacros ordines etiam extra tempora conferre, ac simplices sacerdotes, qui sacra paramenta benedicere valeant subdelegare possint.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis regni Galliarum.

Pius PP. VI.

Venerabiles fratres

Salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Quo luctu, quove moerore ob maximam christianæ religionis eversionem, quæ in hisce alias florentissimis regnis flagitiosorum hominum malitia brevi confecta est, afficiamur, plures vobis, et literis, et indubiis argumentis significavimus. Quapropter quantum in Nobis fuit, Dei adiuvante gratia, torrenti iniquitatis obsistere adhuc conati sumus; et quoniam, sicut nuper accepimus, eo usque processum est, ut neque cultus divinus, neque religionis nostræ mysteria, ac cæremoniæ palam, ac servatis Ecclesiæ legibus peragi possint; hinc utile, atque catholicæ religioni proficuum futurum fore arbitrati sumus, apostolici ministerii humilitati Nostræ ex alto concrediti partes hisce quoque desuper interponere, ac vos in tanta rerum perturbatione, in qua ecclesiasticæ disciplinæ capita minime servari possunt, ab iis aliqua in parte solvere, ut pro tempore, ac re consulere, quidve optimum adhibere valeatis.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos itaque vestrum votis annuere volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristis, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus multorum ex ordine vestro, qui apostolicæ huic Petri cathedræ firmiter adhærent, atque Ecclesiæ jura strenue tuentur, nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitatibus vestris, de quorum fide, ac religionis zelo, plurimum confidimus, durantibus præsentibus regnorum Galliæ calamitatibus, ac ad Nostrum, et apostolicæ Sedis beneplacitum, quatenus urgeat necessitas, et Ecclesiæ utilitas id postulet juxta prudentiam vobis a Deo datam olea sacra cum presbyteris, quos potueritis habere, ac etiam extra diem cœnæ Domini, prout a sacris canonibus præscribitur, conficiendi, clericos ad quatuor minores ordines, quatenus illas nondum susceperint, quatuor feriatis, vel non feriatis, seu unica, et subinde ad sacros subdiaconatus, diaconatus, et presbyteratus ordines tribus dominicis, seu aliis festivis diebus non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio vestrum arbitrio definiendo interpolatis etiam extra tempora ad id a jure statuto, et interstitiis a sacro concilio Tridentino designatis minime servatis, anni curriculo non expectato, etiamsi in unoquoque ex dictis sacris ordinibus antequam ad alium promoveantur minime se execuerint, promovendi, illasque conferendi, nec non simplices sacerdotes, ut paramenta sacra, tabernacula pro custodia sanctissimæ Eucharistiæ, et alia utensilia ad sacrosanctum missæ sacrificium necessaria benedicere, calices, et patenas chrysmate a vobis, vel ab alio quocumque catholico antistite gratiam, et communionem Sedis apostolicæ habente benedicto, consecrare, atque ecclesias pollutas aqua ab episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua ab episcopo non benedicta reconciliare libere, ac licite possint, et valeant, subdelegandi plenam, et amplam facultatem auctoritate apostolica tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die tigesima maii millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Dat. die 12 junii 1792 anno XVIII.

## CM.

Extensio ad fratres donatos hospitalis s. Joannis Hierosolymitani literarum apostolicarum in simili forma Brevis a Sanctitate sua concessarum, quibus patentatis tribunalis s. Inquisitionis in causis mercimonium, naufragia, et fori cessionem concernentibus fori privilegium allegare haud posse statuitur.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. §. 1. Cum reipublicæ maxime expediat, ut controversiæ omnes ad mercaturam pertinentes celerrime definiantur, cumque judiciorum celeritati valde conferat causas agere coram judicibus in hujusmodi controversiarum genere apprime versatis, contra vero plurimum obsint privilegia, quibus muniti nonnulli causas ab uno ad aliud trahentes tribunal inutiles moras nectere student in ipso limine judicii.

Ratio concessionis. §. 2. Hinc Nos ad supplicationem dilecti filii Emmanuelis de Rohan magni magistri hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani per alias Nostras in simili forma Brevis die xxv. junii MDCCLXXXVII. expeditas literas statuimus, ut privilegiati, et patentati tribunalis sacræ inquisitionis in insula Melitæ florentissimo comercii emporio suo privilegio fori minime uti, ac frui deberent in causis comercii, et mercaturæ, quemadmodum in ipsis literis uberius continetur. Nuper autem exponi Nobis fecit idem Emmanuel magnus magister, similia exoriri incommoda mercatoribus ex privilegio fori, quo ex constitutionibus apostolicis beneficio totius militaris ordinis Hierosolymitani editis, perfruuntur etiam confratres laici, seu donati eidem militari ordini Hierosolymitano addicti in mercatura per sæpe occupati, ac Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut simili lege opportune providere, ac de benignitate apostolica similiter indulgere dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur, ut eidem Emmanueli magno magistro paternæ Nostræ charitatis, qua illum in Domino prosequimur, testimonia identidem præstemus, eumque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut imposterum donatis hujusmodi militari ordini Hierosolymitano addictis, cujuscumque generis sint, etiam si illorum mentio specialis esset facienda, ac nemine illorum in causis, et negociis mercimonium, naufragia, et fori cessionem concernentibus cum illarum annexis, connexis, emergentibus, incidentibus, et dependentibus, fori privilegium eis, ut præfertur, quomodolibet concessum allegare, ac a tribunalibus ordinariis Melitæ erectis declinare minime liceat, autoritate apostolica tenore præsentium declaramus, constituimus, atque mandamus.

Clausulæ salutares et irritantes. §. 4. Decernentes easdem præsentes literas, ac in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod donati hujusmodi, et alii quicumque etiam specifica, et individua mentione et expressione digni in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, vel auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, specificatæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque etiam quantumvis legitima, juridica, pia, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite etiam in corpore juris clauso de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, alio ve quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, individuamque expressionem requirente, ac inexcogitato, et inexcogitabili defectu notari, impugnari, modificari, limitari, infringi, retractari, vel invalidari, ad terminos juris reduci, sive in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, seu extra illud uti, seu se juvare nullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac sibi in omnibus quandocumque pro tempore spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari: sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordi-

narios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, nec non inquisitores sancti officii et alios quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ingnoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, et synodalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis etiam in favorem totius ordinis militaris Hierosolymitani, ejusque confratrum, et ministrorum quorumlibet per quoscumque Romanos pontifices prædecessores Nostros, ac Nos, et Sedem prædictam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concistorialiter, et aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, et confirmatis, et quantiscumque vicibus approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris die decima secunda junii millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

---

## CMI.

Dat. die 13 junii 1792 anno XVIII.

Ampliatio facultatum concessarum S. R. E. cardinalibus, et venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, ac dilectis filiis dioecesum administratoribus regni Galliarum absolvendi a censuris qui juramentum civicum emiserunt, vel schismati adhaeserunt.

Pius PP. VI.

Dilecti filii Nostri,
Venerabiles fratres, ac dilecti filii,
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Exponitur inter facultates concessas in literis diei 19 martii comprehensam non fuisse illam absolvendi ecclesiasticos intrusos.

§. 1. Ubi Lutetiam Parisiorum pervenit apostolicum quarumdam extraordinariarum facultatum indultum, quas Nos die 19. superioris martii concessimus omnibus archiepiscopis, episcopis, et administratoribus dioecesum regni Galliarum, confestim confratres vestri in ea urbe commorantes, qui nomine totius coetus episcopalis indultum ipsum impetraverant, facile intellexerunt, inter facultates sibi concessas omissam fuisse facultatem absolvendi ecclesiasticos intrusos; et arbitrantes, hoc ipsum nonnisi ex hujusmodi casus oblivione accidisse, Nos iterum supplices adierunt etiam atque etiam postulantes, ut hanc quoque facultatem nova formula comprehenderemus.

Dubitationes inde subortæ inter episcopos Gallicanos super intelligentia dictarum literarum.

§. 2. Subinde vestri item confratres dubitare se declararunt, utrum facultas primo ejusdem indulti articulo comprehensa, absolvendi ab omnibus censuris quoscumque laicos, et ecclesiasticos tam saeculares, quam regulares utriusque sexus, atque eos etiam, qui schismati adhaeserunt, et juramentum civicum emiserunt, in eoque perstiterunt ultra quadragiuta dies in apostolicis literis diei 13. aprilis superioris anni pro incurrenda suspensione a divinis praefinitos, adjunctam haberet potestatem absolvendi ecclesiasticos etiam intrusos, quorum crimen illorum crimen antecellit, qui civico se tantum sacramento obstrinxerunt, et de quibus in eo articulo specialis mentio facta fuerat.

Preces porrectae pro obtinenda nova facultate.

§. 3. In hac rerum ʼignitate sancte religioseque iidem copi professi sunt, se quammaxime aʼrere a praetergrediendis limitibus fʼatum sibi tributarum; adeoque iterʼad Nos confugientes cujuscumque dʼtatis tollendae causa, aperte Nobis siʼcarunt, se maxime optare, ut episcoʼtribueretur facultas intrusis concilianʼclesiae gratiam, eosque a censuris solvʼ; cum haec facultas non solum ʼnihilberet periculi, sed magno etiam religiʼesse posset emolumento.

Laudatur agendi ratio dictorum episcoporum:

§. 4. Vestra haeʼendi ratio, dilecti filii Nostri, et veʼratres, ac dilecti filii, digna sane est, ʼam summis laudibus, sicut alias feʼus, extollamus. Nos itaque parati ac ʼmpti vestris petitionibus obsecundaʼs in iis omnibus, quae in Domino expʼre Nobis videntur, in animum Nostrum ʼducimus novam vobis impertiri facultatʼ, quae latius pateat, et quae egregiiʼvestris sensibus respondeat, quaeque ʼ eodemque tempore et canonicis reguʼ, et Ecclesiae consuetudini satisfaciat.

Ratio cur in præcedentibus literis prædicta facultas minime concessa fuerit.

§. 5. Illud tamʼ in antecessum animadvertamus oporte, quod sedulo perpensis iis, quae ad Nos prima, et altera vice detulistis, liquido pʼtet, illas inter facultates, quae indulto gʼnerali continentur, comprehensam per Nʼs minime fuisse facultatem absolvendi eccleʼiasticos intrusos. Cujus quidem facultatiʼ omissio ex oblivione proficisci non potuʼ; dum enim Nostris obversarentur oculis apostolicae Nostrae literae diei 13. aprilis anni 1791., in quibus non tantum fiebat meʼtio de crimine praestiti civici sacramentʼ, sed de alio etiam crimine sermo habebitur, quo sese polluerant ecclesiarum episcopʼlium, et parochialium invasores (1), ea Nos fugere minime poterant, quae tʼm ad primum, quam ad secundum crimen pertinebant. Quod si alterum ex illis a Nobis fuit in cit. articulo I. conceptis verbis commemoratum, alterum silentio praeteritum, nil magis luculenter, magisque dilucide argui potest, quam casum, de quo verba fecimus, per Nos concessum fuisse, casum vero, de quo facta nulla mentio est, fuisse Nobis unice reservatum.

Idem ut supra.

§. 6. Cur autem minime concederemus aliis, sed Nobis dumtaxat reservaremus hanc intrusos absolvendi facultatem, in caussa profecto fuit maximum illud, quod unum inter, alterumque flagitium intercedit discrimen, quod sane a vestris ipsis confratribus animadversum est, quodque in omnium oculos incurrit. Etenim quamvis gravi crimine ii teneantur, qui civico sacramento sese obstrinxerunt, vi cujus religione interposita unusquisque promittit servaturum se constitutionem, quae juxta sententiam totius episcopalis coetus Gallicani, juxtaque solemnem declarationem Nostram est partim haeretica, et partim schismatica; multo tamen majori et graviori flagitio tenetur ille, qui prudens ac sciens ad exequendum progreditur id, quod jurejurando promiserat, quique sive sacrilege, sive rite consecratus, si sit episcopus, sive sacrilege, sive rite ordinatus, si presbyter sit, illegitimam nactus missionem ac potestatem ecclesias vel episcopales, vel parochiales invadit, quique demum segregatus ab hac apostolica Sede, et ab legitimis episcopis tot peccatis peccata quotidie inaudita celeritate cumulat, quot illegitimae jurisdictionis actus exercet, dum magis augusta sacramenta prophanat, dum populos misere in errorem inducit, dum novam invehit in regnum constitutionalem ecclesiam, re, legibus, et nomine a Jesu Christi Ecclesia diversam, dumque manu sua schismati latissimam sternit viam. Quod ut e medio tollatur, jure ac merito ad sanctam hanc Sedem confugiendum erat, utpote quae injuria praesertim afficitur, quaeque opportunum etiam potest adhibere indulgentiae modum, non facile, ordinateque servandum, ubi absolvendi facultas multorum permitteretur arbitrio.

Idem ut supra

§. 7. Minime certe vos latet, ven. fratres, quanta severitate usa sit Ecclesia adversus hujusmodi reos. Animadvertens enim id quod intercedit discrimen eos inter, qui suo infortunio parentes haereticos aut schismaticos habuerunt, et inter eos, qui e parentibus catholicis progeniti sponte sua ad haereticorum partes transgrediuntur, aliter factos, aliter natos haereticos, atque schismaticos semper tractavit, in istos longe rigidior, utpote longe gravius reos. Hic agendi rigor multo etiam magis adhibitus est in ecclesiasticos viros, itaut sciamus adversus ipsos adhibitas fuisse minas, ut si quis studio ad haereticum ierit, et susceperit ordinationem, sine receptione sit (1).

---

(1) §. *Videntes*, §. *Insuper*, *et seqq. pag.* 6. *et seqq.*

(1) *Verba sunt Constantini Cypriorum metropolitae in actione prima synodi vii. generalis relat. a Labbeo in noviss. collect. concil. Antonii Zatta tom. xii. col.* 1048. *post litt. c.*

Idem ut supra.

§. 8. Hunc Ecclesiae agendi rigorem commemorat s. Innocentius I. Scribens enim ad Rufum, et alios Macedoniae episcopos docuit, episcopum, aut clericum, in haeresi, aut schismate ordinatum, seu in illud postmodum lapsum, laica tantum communione gaudere, juxta veteres regulas, quas ab apostolis, vel apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit (1). Et quamvis a patribus concilii Nicaeni I. quidam adhibitus fuerit modus erga Novatianos, dum can. VIII. indulserunt, ut si quando venerint ad ecclesiam, clerici in clero permaneant, et is, qui nominatur apud eos episcopus, honorem presbyterii possideat, nisi forte placuerit episcopo nominis eum honore censeri (2), voluerunt tamen, ut anteire deberent certiora argumenta ejurati erroris, adeoque nonnulla ab iis praestanda esse decreverunt; scilicet primo: haec autem prae omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod catholicae, et apostolicae Ecclesiae dogmata suscipiant, et sequantur; decreverunt secundo, ut etiam in eos, qui in persecutione prolapsi sunt, ad faciendum eorum resipiscentiae periculum servarentur, et spatia constituta, et tempora definita (3), quatuor illi scilicet poenitentiae gradus, qui juxta tunc vigentem disciplinam debebant reconciliationem, sacramentorumque susceptionem antevertere (4); et decreverunt denique, ut ecclesias occupatas abdicarent, easque episcopis legitimis dimitterent. Etenim illud certum est, veluti memorati patres dixerunt, quod episcopus ecclesiae habebit episcopi dignitatem . . . . , ne in una civitate duo episcopi probentur existere (5).

Idem ut supra.

§. 9. Cum Rufus Thessalonicensis episcopus hujus Nicaeni canonis vi clericos a Photinianis episcopis ordinatos recipere vellet, eaque de re consuluisset s. Innocentium I., respondit pontifex: „ Possum „ dicere de solis hoc Novatianis esse prae„ ceptum, nec ad aliarum haeresum cle„ ricos pertinere. Nam si utique de omni„ bus ita definirent, addidissent a Nova„ tianis, alii haereticis revertentes de„ bere in su rdinem recipi „ (1). Imo sanctus ponti hac occasione docuit, objici non po peculiarem indulgentiam aliquando adh m, eo quod satis constaret, actum sse quasi dispensatorie „ pro remedi ac necessitate tempo„ ris (2) „.

Idem ut supra.

§. 10. Ne alia certe fuit s. Hieronymi sententi Disserens enim de episcopis lapsis in odo Ariminensi, censuit, eos de so episcopalibus dejectos debuisse inter l s redigi ad perpetuas de scelere lacry effundendas (3). Consideravit tamen tus doctor, posse nonnihil de hujusm rigore aliquando remitti (4); utque missio hujusmodi certis esset regulis cumscripta, in synodo Alexandrina, cui Athanasius, Hilarius Pictaviensis, et Eebius Vercellensis interfuerunt, placu tatuere, quoad sceleris principes atq auctores, quos error excusare non pote , servari illaesum antiquum ecclesiae onem, alios vero poenitentes ecclesiae pse sociari; consensitque Romana, et o dentalis omnis ecclesia, veluti idem . Hieronymus testatur (5).

Segregantur presbyteri inferiores ab aliis ordinis superioris.

§. 11. Hinc minime Nos recedemus ab aequitate, et indulgentia, postmodum in Ecclesiam ecepta, si postulantibus vobis generatim intrusorum absolvendorum facultatem, ecernentur a Nobis presbyteri, aliique inferioris ordinis ecclesiastici viri ab archiepiscopis, et ab episcopis ordinis superioris. Ad presbyteros, aliosque ecclesiasticos viros quod spectat, per Nos in quarta, et quinta classe comprehensos apostolicarum literarum diei 19. praeteriti martii (6), concedimus ad annum unicuique vestrum, dilecti filii Nostri, ac ven. fratres, et dilecti filii, facultatem absolvendi per vos ipsos, aut per presbyteros delegandos a vobis, eos omnes, qui sive illegitime, sive legitime ordinati, aut integram parochiam, aut earum partem

---

(1) *Epist. 22. ad Rufum, aliosque episcopos Macedoniae apud Labbeum cit. noviss. collect. Antonii Zatta tom. iii. col.* 1060. *et seq. num.* 4. *et* 5.

(2) *Cit. can. viii. apud Labbeum cit. edit. tom. ii. col.* 680.

(3) *Cit. can. viii.*

(4) *Can. xi. ejusdem concilii Nicaeni i. penes Labbeum in cit. collect. noviss. tom. ii. col.* 681.

(5) *Cit. can. viii.*

(1) *Cit. epist.* 22. *apud Labbeum cit. tom. iii. col.* 1061. *num.* 5.

(2) *Cit. epist.* 22. *d. num.* 5.

(3) *Comment. in Ezechielem prophet. lib. xiii. cap.* 44. §. *Haec dicit. edit. Venet. an.* 1768. *tom. v. par. i. pag.* 542. 543. 544. *et* 545.

(4) *Cit. comment. in Ezechielem d. pag.* 545. §. *Quidquid.*

(5) *Tom. ii. adversus Luciferianos, cujus verba referuntur apud Labbeum cit. tom. iii. col.* 343.

(6) *Pag.* 6. §. *iv. Parochos et seq.*

invaserint, et actus exercuerint sibi ab episcopis intrusis delegatos, atque hos in gratiam ecclesiae conciliandi, itaut ii juxta indulgentiam memorati canonis VIII. Nicaeni concilii permaneant in clero.

Diversae absolutiones concedantur ad tramites resolutionum concilii Nicaeni.

§. 12. Et ne absolutiones hujusmodi inconsulto concedantur, aut sint inter se difformes, inhaerentes Nos praedicto concilio Nicaeno, et benigniori Ecclesiae disciplinae, jubemus intrusorum absolvi neminem, nisi prius scripto ejuraverit civicum sacramentum, illosque errores, qui civili constitutione cleri Gallicani continentur, et nisi declaraverit speciatim (1), sacrilegas esse ordinationes ab intrusis sive receptas, sive peractas, irritam esse collatam ab iis auctoritatem, injustamque et nullam esse intrusionem una cum actibus inde consecutis, et nisi jurejurando promiserit, se apostolicae huic Sedi (2), legitimisque episcopis obtemperaturum, et nisi denique parochiam, ejusve partem reapse abdicaverit, eorumque ejuratio, atque abdicatio publica fuerit, perinde ac crimen quoque publicum fuit, injunctis eorum singulis, „ quantum spiritus et prudentia suggesserit „ ut ajunt Tridentini patres (3) „ pro qualitate criminum, et „ poenitentium facultate salutaribus, et „ convenientibus satisfactionibus „. loco publicae poenitentiae graduum, quos vigentes Nicaeni concilii tempore postmodum Ecclesiae pietas moderata est, reservataque Nobis facultate idoneos reddendi eos, qui absolventur, habendis, retinendisque beneficiis, atque parochiis, per ipsos non rite occupatis, et possessis.

Monita danda ecclesiasticis inferioris ordinis antequam absolvantur a sacrilegio intrusionis.

§. 13. Dum vobis ampliorem hanc facultatem impertimur absolvendi etiam a nefario intrusionis sacrilegio ecclesiasticos inferioris ordinis, non possumus equidem, quin vos simul, et ecclesiasticos hujusmodi paterne commoneamus. Vos, inquimus, ut caute utamini tributa facultate ad aedificationem, utque religiose eas servetis, quae vobis praescribuntur, conditiones; ecclesiasticos autem poenitentes, ut grato in Nostram indulgentiam animo nullam simulationem adhibeant, utpote quae non modo ipsis nulli esset adjumento, sed etiam eosdem in majus exitium conjiceret. Absoluti enim coram Ecclesia, absoluti minime essent coram Deo, medicinamque ipsam in venenum converterent. Et si Spiritum Sanctum non habent, qui segregant semetipsos (1) „ certe nec „ ille eum percipit, qui fictus est in Ec„ clesia, quoniam et inde scriptum est: „ Spiritus enim Sanctus disciplinae effu„ giet fictum (2) „. Qui vult ergo habere Spiritum Sanctum, caveat in ecclesiam simulatus intrare: aut si jam talis intravit, caveat in eadem simulatione persistere, ut veraciter coalescat arbori vitae.

Ampliatio indulti.

§. 14. Insuper ad quamcumque ambiguitatem submovendam illud adjungimus, ut facultates memorato indulto generali comprehensae, non secus atque illae facultates, quae hisce continentur literis, concessae intelligantur tam Gallis, quam exteris archiepiscopis, et episcopis pro iis populis, iisque dioecesum partibus, quas habent in regno Galliarum.

Pro ecclesiasticis superioris ordinis absolutio uni Sedi apostolicae reservatur.

§. 15. Ad archiepiscopos vero, et episcopos superioris ecclesiastici ordinis quod attinet, sive sint consecratores, et assistentes, sive intrusi, sive etiam jurejurando civico obstricti, juxta primam, secundam, tertiamque classem Nostrarum literarum diei IX. elapsi mensis martii, satis opportunum existimamus unice Nobis, Nostrisque successoribus reservare illorum absolvendorum facultatem. Quod enim super eorum defectione cadit judicium, multo aliis gravius est, iisque longe antecellit: nam eorum quidam sunt totius sceleris principes, omnes autem possunt vere dici auctores exitialis schismatis, quod per totum istud regnum misere debacchatur; adeoque digni sunt juxta memoratos canones, ut cum iis aliquanto rigidius agatur. Hac autem reservatione nolumus sane, ut eorum animi frangantur, ac dejiciantur, sed maxime cupimus, ut illorum tanto magis excitetur fiducia communem matrem adeundi, et ad eam alacriter confugiendi; si enim sincera eorum erit poenitentia, velintque plenis satisfactionibus male gesta condemnare, et ecclesias occupatas dimittere, declaravimus jam cum s. Leone (3), idemque modo

---

(1) *Ejuratio errorum articulata esse debet juxta cit. can. VIII. concilii Nicaeni, necnon juxta acta alterius concilii Nicaeni II. apud Labbeum cit. edit. noviss. t. XII. col.* 1008. *litt. e.*

(2) *Haec conditio expresse adjecta fuit in formula, qua recepti fuerunt ad communionem schismatici in concilio Lateranensi III., ut videre est apud Natal. Alexand. histor. eccles. saecul. XI., et XII. dissert.* 9. *edit. Paris. ann.* 1744. *tom. XIV. pag.* 368.

(3) *Sess. XIV. cap. VIII.*

(1) *Judae cap. unic. vers.* 19.

(2) *Sapientiae cap. I. vers.* 5.

(3) *Cit. apostolicae literae diei* 19. *martii* 1792. *pag.* 2. §. *Hinc mirum.*

iterum declaramus, eos per Nos apertis ulnis exceptum iri, et pacis, communionisque Nostrae unitate fruituros. Nostra enim ac vestra consilia non alio spectant, quam eo, ut errantes ad ovile reducantur, utque schismati finis demum imponatur, veluti indesinenter fusis lacrymis Deum Optimum Maximum deprecamur.

Damnatio cujusdam scripti falso pontificis nomine vulgati

§. 16. Post haec vix opus esset, ut vos admoneremus cujusdam scripti, nunc ad Nos delati, quod schismatici desperantes omnino tueri se amplius posse auctoritate sua apud omnes abjecta, atque pessumdata, ausi sunt Nostro nomine in vulgus edere, praefixo titulo literarum in forma Brevis, Gallica et Germanica lingua conscriptarum, perinde ac si illae datae fuissent „ *à Rome a sainte Marie Majeure sous l'anneau du pêcheur le ii. avril l'an. MDCCXCII.* (1) „ quatuordecim scilicet diebus post ultimas Nostras literas, quibus adscripta est dies xix. praeteriti martii. Hae falsae literae, quarum initium est „ *Notre coeur paternel* „ inaudita temeritate falsas declarant omnes apostolicas literas a Nobis exaratas, atque vulgatas adversus civilem constitutionem cleri Galliarum, ejusque auctores, atque fautores (2), exuunt sanctam hanc Sedem suo jurisdictionis primatu (3), plurimis laudibus prosequuntur universam constitutionem, hortanturque populos, ut episcopis, et parochis constitutionalibus pareant (4).

Idem ut supra.

§. 17. Oh infelix astutia, quasi unicuique non pateret harum literarum falsitas, atque calumnia, sive locus inspiciatur, ubi datas fuisse confingitur; Nos enim die ii. mensis aprilis morabamur, quemadmodum moramur adhuc, non apud s. Mariam Majorem, sed apud sanctum Petrum; sive animadvertatur integer contextus, et continuatio sermonis, quo fuerunt conscriptae. Ibi enim, dum assueta, ipsisque familiari circumventione utuntur, nullum afferunt argumentum, quod centies non fuerit refutatum atque rejectum, ita ut vere dici possit, tot in illis errores esse, quot verba. Nihilominus ne simplices decipiantur, inhaerentes Nos iis, quae adversus hujusmodi corrupta monumenta postremis literis Nostris expressimus (5), hoc scriptum declaramus falsum, commentitium, calumniosum, haereticum, atque schismaticum, illudque rejicimus, reprobamus, atque damnamus. Quo majores sunt adversariorum Nostrorum fraudes, eo major debet esse Nostra, ac vestra vigilantia. Hanc vobis commendamus etiam atque etiam, dum interea vobis, dilecti filii Nostri, et ven. fratres, ac dilecti filii, vestraeque curae concreditis gregibus apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud s. Petrum die decimatertia junii MDCCXCII. pontificatus Nostri anno decimo octavo.

(1) §. 49.
(2) §§. 1. 17. *et* 46.
(3) §. 8. *et seqq.*
(4) §. 44.
(5) *Datis die* 19. *martii hujus anni pag.* 5. §. *Interea*, *et pag.* 8. §. *Super omnia.*

---

## CMIII.

Dat. die 13 junii 1792 anno XVIII.

Confirmatio decreti congregationis Rituum super approbatione sanctae Mariae Magdalenae in patronam oppidi Bucheri Syracusanae dioecesis.

### Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio et genus concessionis.

§. 1. Cum sicut dilecti filii clerus, magistratus, et populus oppidi Bucheri Syracusanae dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi qui ab immemorabili sanctam Mariam Magdalenam in patronam dicti oppidi habuerunt, eam uti talem a Nobis confirmari summopere cupiant. Nos, audito dilecto filio magistro Carolo Erskine fidei promotore, dictosque exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excummunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: memoratam sanctam Mariam Magdalenam in patronam dicti oppidi Bucheri prout ab immemorabili ibidem habita est, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, atque uti talem imposterum haberi, et recoli debere decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non cleri, et populi praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemisso-

rum quomodolibet concessis, adprobatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris die decima nona junii millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

---

## CMIII.

Confirmatio legum, et praescriptionum latarum pro manipulo quinquaginta militum Pacificorum civitatis Caesenatensis.

Dat. die 15 junii 1792 anno XVIII.

Pius PP. VI.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Jounes Baptista comes Fattiboni, quod Nos alias ad manipulum quinquaginta militum ex cohorte sexcentorum militum Pacificorum a fel. record. Paulo III. praedecessore Nostro erecta selectorum, qui in civitate, ac patria Nostra Caesenatensi diu, noctuque excubias, et vigilias agerent, constituendum, opportunas leges, et statuta praescripsimus, congrua stipendia assignavimus, caeteraque omnia, quae ad firmandum manipuli hujusmodi statum, visa sunt opportuna, statuimus, illiusque directionem, ac regimen duobus officialibus cum titulo „ di comandanti „ sub certis legibus, ac conditionibus commisimus, haecque officia dilecto filio Jacobo Bandi, et eidem exponenti tunc primum concessimus, ac alias prout ex Nostris hisce desuper in simili forma Brevis die 30. septembris 1788., 20. martii 1789., 15. junii 1790., ac 13. martii currentis anni 1792. expeditis literis uberius dicitur contineri. Cum autem sicuti eadem expositio subjungebat inter caetera, quae per memoratas Nostras literas diei 15. junii 1790. per Nos statuta fuere, quod titulum di comandanti, quo, ut praefertur, memoratos officiales auximus cum directione, et regimine dicti dumtaxat manipuli quinquaginta militum haud congruere visum est, illud voluerimus, ut scilicet hi „ comandanti „ pro tempore existentes totius cohortis sexcentorum militum Pacificorum, administrationem, ac gubernium haberent; hinc dictus exponens, quo haec Nostra voluntas utilius exequi posset, Nobis quaedam articula pro faciliori ipsius cohortis administratione, et regimine exhibuit, quae per Nos approbari summopere desiderat; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicæ confirmationis.

§. 2. Nos igitur memoratum exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, ac penis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita prius hisce desuper tua relatione, discretioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut in primis, attenta officii praedicti „ di comandante „ dimissione a memorato Jacobo Bandi in manibus Nostris sponte facta, et per Nos admissa, et acceptata, cum unus solus Joannes Franciscus exponens dicti manipuli militum selectorum, et totius cohortis praedictae comandante existat, sic pariter, et in posterum non obstante dispositione dictarum Nostrarum literarum 30. septembris 1788., quibus in hac parte expresse derogare intendimus, unum dumtaxat manipuli, et cohortis praedictorum comandante constituendum esse auctoritate Nostra apostolica edicas. Ut insuper in eadem cohorte praeter officium „ di comandante „ praedictum, alia etiam officia subalterna, nempe = di un maggiore, quod quidem officium nunc primum dilecto filio comiti Jacobo Aldini conferimus, = un ajutante maggiore = un giudice delegato = un uditore = un scrivano = un ajutante del battaglione = un quartier mastro = un sotto quartier mastro = un cappellano = un foriere = un profosso = un cappellano = un capo sartore = un armarolo = un capo tamburro = e quattordici individui della banda, constituas, et erigas. Totam vero cohortem hujusmodi in sex aequales centurias dividas, quarum singula ex capitano = primo tenente = secondo tenente = alfiere = porta bandiere = primo sargente = secondo sargente = altro secondo sargente = cinque caporali = un piffero, = un tamburro = duobus

cadetti volontari = septuaginta duobus militibus gregariis constet, ita tamen ut prima dumtaxat centuria excubias, et vigilias diu, noctuque in civitate praedicta agat, caeteraque munia, quae alias manipulo quinquaginta militum selectorum commissa erant, sustineat, ac in illius locum in omnibus, et per omnia suffecta censeantur, caeterae vero quinque centuriae, quae appellari poterunt numero = presidio di Cescua =, nisi urgente necessitate veluti milites rogati, seu truppa „ regolata „ agere poterunt.

Declarationes speciales.

§. 3. Volumus praeterea, ut licet in memoratis Nostris literis diei 15. junii 1790. dum totam cohortem praedictam regimini, ac directioni dictorum comandanti subjecimus, jura civitati Caesenatensi, et priori numeri competentia reservaverimus, nihilominus ea certis limitibus circumscribenda esse censemus. Siquidem in primis magistratui Caesenatensi milites pro quinque dumtaxat centuriis urbanis, seu „ di milizia „ conscribere fas est, qui tamen milites adscriptivi a comandante pro tempore existente erunt ei offerendi, illorumque literae patentales tum a primo magistratu, tum ab ipso comandaute erunt signandae, quatenus vero prior numeri, et officialis, seu comandante pro tempore existentes de adscriptivis militibus discrepent, ad te, et commissarios generales armorum status ecclesiastici pro tempore existentes, successores tuos militum hujusmodi electio erit devoluta. Praeterea cum milites, nisi ex gravi delicto sunt admittendi, parvis enim delictis leves poenae sint erogandae, hinc causarum hujusmodi, nempe dimissionis militum cognitionem tibi, tuisque successoribus, vel tuis, illorumque delegatis reservamus. Habeat insuper, et deinceps cancellarius communitatis Caesenatensis jus exigendi a singulis militibus adscriptivis julium unum, prout jamdiu in more positum est, ast milites hujusmodi alium etiam julium aerario militari persolvant. Liceat tandem, ut prius primo priori quinque centurias urbanas, seu „ di milizia „ non autem primam, quae cum jugi servitio subjecta sit, ab hac lege exemptam esse decet, semel in anno, duas scilicet in primo anni bimestre, caeteras vero singulas in singulos sequentes bimestres pro suo lubitu recensere. Haec, aliaque pro militari campestri centuriarum hujusmodi exercitatione, quae opportuniora tibi juxta datam tibi a Domino prudentiam videbuntur, ita tamen ut tum primi, tum secundi officiales earumdem centuriarum in praemium majorum laborum, quos hinc ferre tenentur, tamquam officiales vulgo „ di truppa regolata „ censeantur, auctoritate praedicta statuas, atque decernas. Demum Nos praevia omnium literarum Nostrarum praedictarum in iis omnibus, quae hisce praesentibus Nostris literis non adversantur, confirmationem tibi omnem, et quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et ad earumdem literarum Nostrarum executionem perducenda pertinent, faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi omnia, quae constituere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris, facultatem auctoritate, ac tenore praesentis tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, memoratis Nostris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xv. junii MDCCXCII. pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Dat. die 16 julii 1792 anno XVIII.

## CMIV.

**Deputatio domini cardinalis Campanelli in commissarium ad dirimendas, et terminandas controversias inter apostolicam Sedem ex una, et regem utriusque Siciliae ex altera parte jamdiu pendentes.**

Dilecto filio Nostro Philippo Sanctae Romanae Ecclesiae diacono cardinali Campanelli nuncupato.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Status controversiarum.

§. 1. Pendebat longo jam tempore ea, quae olim instituta erat tractatio inter apostolicam hanc Sedem, regiamque aulam Neapolitanam, absque eo quod ad optatum exitum pervenisset, ad quem vota spectabant cum Nostra, tum carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi utriusque Siciliae et Hierusalem regis illustris, et in quo comparando, ac perficiendo tam congregatio particularis Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium per Nos delecta, quam alii Nostri, regiique ministri studium diligentiam, curamque adhibuerant. Hanc inter rerum ambiguitatem divinitus prope factum est, ut idem carissimus in Christo filius Noster rex Ferdinandus una cum carissima in Christo filia Nostra regina Maria Carolina in hanc almam urbem advenerit, locusque factus fuerit mutuae conciliationi pertractandae communi animorum gaudio, atque exultatione non per nuncios, et legatos, sed inter Nos ipsos. Nullus fuit tractationis articulus, qui sive ad res ecclesiasticas pertineret, sive annuam respiceret census solutionem, et equi albi praestationem cum solitis solemnitatibus, qui propositus, seduloque ad trutinam revocatus non fuerit per mutuas collocutiones, quas simul plures habuimus. Quod si aliquanto diuturnior eorumdem religiosorum principum mora in hac urbe fuisset, tam bene erant ultro citroque animi comparati, ut felicissimus rerum exitus sperari omnino potuisse videretur. Verum, et temporis angustiae, et articulorum multiplex genus fuerunt impedimento, quominus incepta tractatio perficeretur, ita ut cum contentiones, et discrepantiae omnes paucis horis componi omnino non possent statutum utrinque fuerit interea articulum de episcopatibus absolvere, ut pote qui super alios omnes maxime intererat religioni, aeternae populorum soluti.

Controversias amicabiliter componere, et rex duarum Siciliarum, et pontifex constituunt.

§. 2. Quae quidem duae causae adeo graves apud Nos fuerunt, tamque vehementer paternum Nostrum permoverunt animum, ut volentes praeclarum edere indulgentiae Nostrae argumentum, consilium coeperimus regi concedendi nominationem dignorum virorum ad omnes regni ecclesias: eoque libentius ad amplam hanc concessionem devenimus, quo propensiores regis in Nos sensus perspeximus; unde in spem erecti sumus, ipsumque quoad alios, qui superessent articulus, haud absimile propensionis in Nos suae monumentum praebiturum. Et re quidem vera rex Neapolim vix regressus in id primum suas curas intendit, ut ea quae inter Nos convenerant, exequerentur, quaesitis summa laude ubicumque egregiis virtute viris, quos ad eum finem Nobis in antecessum designavit, quosque subinde per ipsum nominatos, Nos variis temporibus specialibus gratiis affecimus, et solito ritu apostolicis bullis donavimus. Dum vero in hac seria cogitatione ipsius regis curae versabantur, haud oblitus profecto est studium, et desiderium suum reliquas omnes contentiones, ac discrepantias componendi, suisque ad Nos datis die XIV. junii superioris anni literis petiit a Nobis, num probaremus, per eum ad Nos mitti aliquem virum ad incoeptum opus absolvendum, ut haberi cito posset reliquarum etiam rerum conciliatio, quae, et numeris omnibus absoluta, et perpetua esse deberet, promptumque praeterea se Nobis exhibuit in vulgo edendis iis articulis, in quos nulla caderet disceptatio. Quibus literis sine mora per alias Nostras familiares epistolas die XVII. ejusdem mensis conscriptas respondimus non solum probari a Nobis, sed vehementer etiam optari, ut rex aliquem ad Nos mitteret, quem magis idoneum judicasset mutuae concordiae incundae, et conciliandae declarantes magis opportunum videri Nobis, si concordia universa simul, et non aliqua illius pars ederetur in vulgus, eo quod unius, aut alterius articuli praetermissio indicio esse posset, nimium Nos inter quoad res omissas intercessisse dissidii, quod dedecere Nobis videbatur. Postmodum rex ipse Nobis significatum voluit, quam difficile sibi esset virum ad Nos mittendum diligere, Nobisque auctor fuit, ut pro celeriori concordiae exitu Nostram uterque plenipotentiarium nominaret, seseque obstringeret probaturum, et ratihabiturum ea omnia, in quibus per ipsos plenipotentiarios conventum fuisset.

Deputavit rex suum plenipotentiarium generalem Acton; pontifex vero cardinalem Campanelli.

§. 3. Et hanc ipsam ob causam declaravit idem rex destinari a se dilectum filium generalem Joannem Acton suum a secretis status. Cum Nos novam hanc agendi rationem Nostro perpendissemus animo, illud Nobis certum, exploratumque in primis esse voluimus, si tu, dilecte fili Noster, aeque gratus, atque acceptus regi esses, ac gratus acceptusque Nobis ille fuerat quem suo nomine rex designaverat. Cujus quidem rei certiores effecti, nihilque Nos minus, quam rex ipse desiderantes, ut quanto citius controversiae omnes tollantur e medio, motu, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut debito fine tandem praemissa concludantur, ac in perpetuum stabiliantur, te, de cujus fide, prudentia, integritate, et in rebus agendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, in Nostrum, et ejusdem sanctae Sedis plenipotentiarium tenore praesentium nominamus, constituimus, et deputamus. Tibi, ut Nostro, dictaeque sanctae Sedis nomine cum praefato dilecto filio generale Joanne Acton, quem ipse Ferdinandus rex elegit, ac sufficienti pariter ad haec mandato munivit, omnia, et singula negotia hujusmodi conficere, et concludere, et confecta, et conclusa manu tua subscribere, signoque tuo munire libere, ac licite possis, et valeas, plenam, et amplam facultatem harum serie concedimus, et impertimur.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 4. Decernentes validum, et efficax fore quid quid earumdem praesentium vigore tu egeris, tractaveris, et concluseris, atque id omne acceptum, et gratum, firmumque, ac ratum habere, nec non observare, complere, et exequi in verbo Romani pontificis promittentes. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimo sexto julii millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri, anno decimo octavo.

## CMV.

Dat. die 18 julii 1792; anno

Unio jurisdictionis tribunalium Riparum, vectigalium, et thesaurarii in causis criminalibus.

### Pius PP. VI.

Motu proprio etc.

Ratio resolutionis.

§. 1. Dopo aver Noi, con cedola di Nostro moto proprio, segnata li vii. gennaro MDCCLXXXIX. deputato, in luogo del defonto Mario Ciotti, l'avvocato Francesco Maria Rufini, in giudice camerale criminale, abbiamo preso in considerazione l'altro moto proprio della sa. me. di Clemente XI. Nostro predecessore, dei xxvi. maggio MDCCVIII., col quale, derogando alla bolla della sa. me. di Paolo V., altro Nostro predecessore, dell'anno MDCXI., sulla riforma de' tribunali della Nostra città di Roma, nel titolo „ de judicibus criminalibus Urbis, „ *et pertinentibus ad eos* „ il medesimo Clemente XI. ordinò, che in avvenire, ed in perpetuo dovesse, per li tribunali dei monsignori tesoriere, e chierici della Nostra Camera apostolica, esercitarsi la giurisdizione criminale da quella persona, che da esso stesso pontefice, e da suoi successori fosse stata nominata, ed abbiamo altresì osservato, che l'accennato Clemente XI. contestualmente dichiarò, che, attese le particolari circostanze, non intendeva per allora di comprendere nel detto moto proprio il presidente della Grascia, e il presidente delle Ripe, quali potessero deputare il giudice a loro arbitrio, conforme successivamente lo hanno deputato. Dal tenore però della riferita dichiarazione risultando, che l'intenzione del ridetto Clemente XI. non fosse di eccettuare perpetuamente dal detto giudice camerale le divisate due presidenze della Grascia, e delle Ripe, e riflettendo Noi, essere incoerente, che la giurisdizione criminale, per queste due presidenze, sia separata da quella del mentovato giudice camerale, che ha l'ingerenza in tutti gli altri tribunali della Nostra camera, siamo venuti nella determinazione di unire le ridette due presidenze della Grascia, e delle Ripe, anche per il tribunale delle tre acque, Vergini, Felice, e Paola, alla succennata giudicatura camerale, e di ordinare, che nella medesima resti ancora perpetuamente compreso l'esercizio della giurisdizione per le dette due presidenze.

Tenor motus proprii super unione jurisdictionum.

§. 2. Avendo pertanto Noi qui per espresso, e di parola in parola inserto il tenore non solo della costituzione della sa. me. di Clemente VII. dell' anno MDXXIV., in forza della quale dai chierici, o decano, o presidente della Nostra camera si deputava anche per le cause criminali il giudice di Ripetta, che in appresso è stato eletto dai presidenti delle Ripe, della suddetta bolla, e riforma di Paolo V., delle facoltà, e prerogative concedute in qualsivoglia modo, e tempo da Noi, e dai Nostri predecessori tanto al detto presidente delle Ripe, e delle dette Acque, quanto all' altro presidente della Grascia, ma ancora d'ogni altra costituzione, bolla, moto proprio, chirografo, o altra disposizione Nostra, o de' Nostri predecessori, che facessero in contrario a quanto siamo per determinare in appresso, che richiedessero specifica, ed individua menzione, e delle quali fosse necessario inserirsi tutto il tenore, di nostra scienza, e pienezza della nostra potestà assoluta con il presente Nostro moto proprio, confermando in primo luogo il suddetto moto proprio della sa. me. di Clemente XI. dell' anno MDCCVIII., non però in quella parte, in cui furono per allora eccettuate dalla giudicatura camerale criminale le accennate presidenze della Grascia, e delle Ripe, l'altro Nostro moto proprio dei vii. gennajo MDCCLXXXIX. di deputazione del detto avvocato Francesco Maria Rufini in giudice camerale crimin le, e tutte le altre disposizioni, moti proprj, e chirografi tanto Nostri, quanto de' Nostri predecessori su tutte le facoltà, giurisdizioni, privilegj, ed esenzioni, che sono state accordate al detto giud ce camerale criminale, uniamo quindi, e vogliamo, che siano perpetuamente unite le dette due presidenze della Grascia, e delle Ripe, alla surriferita giudicatura camerale per l'esercizio della giurisdiz one criminale, comprensivamente ancora alle cause criminali di Ripa grande, e del tribunale delle dette tre Acque, di maniera che in avvenire tanto il detto avvocato Francesco Maria Rufini, da Noi come sopra deputato, quanto i successori in tale uffizio, abbiano, e debbano avere piena facoltà d'ordinare, e formar processi anche col mezzo de' loro sostituti, far decreti, e terminare, e decidere sino alla sentenza inclusivamente, e sua totale esecuzione tutte le cause criminali di pertinenza delle accennate presidenze della Grascia, e delle Ripe comprese, come di sopra, Ripa grande, e le tre acque, Vergine, Felice, e Paola, con tutti i privilegj, e prerogative, che competono alle medesime due presidenze, con tutti i soliti emolumenti ordinarj, e rispetto alli straordinarj, nel modo, e forma, che si osserva nei tribunali tanto del tesorierato, che degli altri chierici della Nostra camera per le materie, e cause criminali.

Declaratio specialis super reservatione jurium præsuli riparum pertinentium.

§. 3. Dichiariamo bensì espressamente, che non intendiamo di togliere, o di alterare anche in minima parte il libero arbitrio, che ha il presidente delle Ripe di disporre a suo pieno piacimento della quarta parte delle pene, ossiano multe, che si esigono alle diverse occasioni nel detto suo tribunale in tutto, e per tutto a forma del chirografo della sa. me. di Innocenzo XI. dei ix. marzo MDCLXXXI., inoltre, a riserva dei mandati, e decreti nelle sole cause criminali, non intendiamo, che sia in verun modo leso il diritto dell' uditore civile sugli emolumenti certi, ed incerti, e delle invenzioni, che al medesimo appartengono, e che ha sin' ora percetti; ed ordiniamo in fine, che il detto giudice camerale, per li processi, e cause della presidenza delle Ripe, e delle Acque, debba procedere per gli atti dei respettivi notari, di Ripetta, di Ripa grande, e delle Acque, ai quali notari appartengono le diverse materie della detta presidenza.

Clausulæ salutares, et irritantes.

§. 4. Volendo, e decretando, che la presente Nostra cedola di moto proprio ammettendosi, e registrandosi in camera, secondo la disposizione della bolla di Pio IV. Nostro predecessore *de registrandis* vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla Nostra semplice sottoscrizione, e contro di esso non si possa in alcun tempo opporre di orrezione, e surrezione, mancanza della Nostra volontà, ed intenzione, e qualsivoglia difetto, benchè degno di espressa, speciale, ed individua menzione, e che non si possa diversamente interpretare, o giudicare, dichiarando nullo, ed irrito tutto ciò, che in contrario da qualunque persona scientemente, o ignorantemente si facesse, o si attentasse, non ostante, quanto a tutte, e singole cose premesse, non vi siano stati citati, chiamati, o sentiti i suddetti chierici presidenti della Grascia, e delle Ripe, ed ogni altra persona, che vi avesse, o potesse avere interesse; e non ostanti ancora la regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo* le surriferite costituzioni delle sa. me. di Clemente VII. dell' anno MDXXIV., di Paolo V. dell' anno MDCXI. sulla riforma de' tribunali della Nostra città di Roma, il moto proprio della sa. me. di Clemente XI. dell' anno MDCCVIII. nella parte però,

che risguarda le dette due presidenze della Grascia, e delle Ripe, e qualsisiano altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche tanto Nostre, quanto dei suddetti, e di altri Nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole, avendo il lor tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, per l'effetto suddetto, e per questa volta sola pienamente deroghiamo, perchè tal' è la Nostra certa, espressa, e determinata mente, e volontà. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì xviii. luglio MDCCXCII.

---

## CMVI.

Dat. die 20 julii 1792 anno XVIII.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui die vicesima primi augusti visitaverint ecclesias monachorum ordinis s. Benedicti congregationis Olivetanae.

Pius PP. VI.

Universis christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac s. communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis monachorum ordinis s. Benedicti congregationis Olivetanae ubicumque existentibus dominicis immediate respective sequentibus post diem vigesimam primam mensis augusti, ac post festum s. Franciscae viduae a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua dominica praedictarum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Conditiones adjectae, et fides habenda transumptis.

§. 2. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu pubblicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, vel manu alicujus notarii publici subscriptis, vel sigillo procuratoris dicti ordinis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xx. julii MDCCXCII. pontificatus Nostri anno decimoctavo.

---

## CMVII.

Dat die 24 julii 1792 anno XVIII.

Commissio nuntio apostolico Poloniae pro confirmatione decreti congregationis Episcoporum, et Regularium super electione prioris triennalis monasterii Paradisiensis ordinis Cisterciensis in Polonia.

Venerabili fratri Ferdinando archiepiscopo Carthaginensi Nostro, et Sedis apostolicae apud carissimum in Christo filium Nostrum Stanislaum Poloniae regem illustrem nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus prior monasterii, seu conventus Paradisiensis ordinis Cisterciensis in Polonia cum sua congregatione, quod ab initio inter hanc apostolicam Sedem, et rempublicam Polonam anno MDCCXXXVII. concordato, cujus vigore bona abbatialia pro abbatibus commendatariis, et claustralibus fuerunt divisa, monasterium Paradisiense praedictum ob mensae conventualis proventuum, ac reddituum tenuitatem, qui monachorum alimentis, monasterii, et ecclesiae Nostrae reparationi, suique decori sufficere nequaquam poterant, statuit deinceps eligendum non esse abbatem claustralem, ut ex tertia parte proventuum, ac redditiuum hujusmodi mensae abbatialis claustralis totius communitatis angustiae sustentarentur, quod quidem consilium expressae legi in concordato praescriptae apprime consentaneum fuit: quippe quia in eo de monasterio Paradisiensi praedicto specialem, ac individuam mentionem sub articulo ix. faciens cautum, praescriptum legitur, ut tertia pars superextantis men-

sae abbatialis assignetur in substentationem superioris claustralis pro tempore existentis, et in ecclesiae, et monasterii conservationem: quapropter in capitulo generali dicti ordinis Cistercii anno millesimo septingentesimo trigesimo octavo habito statutum fuit, ut ad perficiendam unionem tertiae partis fructuum mensae abbatialis hujusmodi mensae conventuali apostolica impetraretur confirmatio. Et quamvis nondum confirmatio unionis, seu incorporationis hujusmodi ab apostolica Sede fuerit neque postulata, neque obtenta, quod forsan sufficiens visa est ipsius concordati apostolica confirmatio, attamen hucusque abbas claustralis nunquam fuit electus, sed prior dumtaxat monasterium hujusmodi tam in spiritualibus, quam in temporalibus semper administravit: unde factum est, ut inde res domesticae ipsius monasterii resurrexerint, numerus monachorum auctus, ecclesia, monasterium, aliaque aedificia restaurata, ac etiam decori, et ornatui domus Dei quodammodo consultum sit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, nuper visitator generalis ordinis praedicti, quod alias a suis praedecessoribus ut bonum, ac utile monasterio praedicto ratum, ac approbatum fuit, invertere intendat, bona hujusmodi segregando, eaque uni religioso ab ipso deputato in administrationem concedere. Nobis propterea memoratus exponens cum sua congregatione humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur memoratum exponentem, suamque congregationem praedictam specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum, qui relationem tuam super praemissis attenderunt, consilio, fraternitati tuae, per praesentes committimus, et mandamus, ut, constito tibi de narratis, gubernio monasterii Paradisiensi praedicto loco abbatis claustralis prior triennalis singulis quibusque trienniis a familia, et ex gremio ejusdem monasterii eligendus juxta indultum monasteriis Selejoviensi, et Wachocensi concessum, praefigatur, ita tamen, ut expleto triennio nemo in priorem confirmari, vel iterum eligi possit, nisi ab officio hujusmodi per triennium saltem vacaverit, ac reservata visitatori generali pro tempore existenti dicti ordinis admissione novitiorum ad professionem eisdem exponentibus auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et prudentia impertiaris.

Declarationes speciales.

§. 3. Praeterea tibi injungimus, ut tertiam partem bonorum in erectione commendae divisam, et assignatam pro substentatione superioris claustralis pro tempore existentis, et manutentione sartorum tutorum ecclesiae et monasterii, distinctis rationibus ab officialibus monasterii, qui juxta constitutiones, et consuetudinem ordinis praedicti bona mensae conventualis administrant, pariter administrari, ac medietatem redditnum ejusdem tertiae partis promiscue uniendam esse redditibus communis mensae conventualis, a qua prior victum, et amictum recipere debet, prout ante erectionem commendae, aliam vero medietatem sejunctim conservandam esse pro manutentione fabricae ecclesiae et monasterii auctoritate praedicta pariter praescribas: salva semper ejusdem congregationis auctoritate.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis, et monasterii, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis il-

lorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima quarta julii millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

---

Dat. die 24 julii 1792 anno XVIII.

## CMVIII.

Committitur episcopo s. Jacobi de Chile, ut alternativam inter Croillos et Europeos provinciae de Chile fratrum ordinis s. Francisci statuat.

Venerabili fratri episcopo s. Jacobi de Chile.

PP. Pius VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Procemium.

§. 1. Decet Romanum pontificem suae auctoritatis partes libenter circa ea interponere, per quae religiosorum statui opportune consulitur, ubi praesertim ex aemulationum, ac dissidiorum incommodis adeo illorum animos scindi compertum sit, ut uberes fructus, quos Christifideles jure, ac merito ex regularibus institutis sperant, quominus proferrantur, quotidie praepeduntur.

Expositio precum porrectarum a rege catholico.

§. 2. Nuper pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli regis Hispaniarum catholici expositum est, quod cum provincia de Chile fratrum ordinis minorum sancti Francisci in diversa studia divisa sit, suum regium Indiarum consilium praevio maturo rerum examine, ad dirimendas controversias omnes, quae jamdiu eamdem provinciam perturbant, ac ad tollenda scandala, quae ex inde erumpunt, optimum futurum esse remedium consuluit, quatenus alternativa in muneribus, ac officiis inter fratres dictae provinciae, Europeos scilicet Hispaniis natos, et Croillos, natos scilicet in America, constituatur: quapropter demandatum fuit commissario generali Indiarum ordinis praedicti, ut methodum in hac alternativa constituenda servandam proponeret, ut subinde, si ea opportuna dignosceretur, tibi illius exequutio esset committenda. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, methodus a memorato commissario Indiarum proposita ipsius Caroli regis catholici votis quam maxime accommodata visa sit: Nobis propterea memoratus Carolus rex catholicus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur, qui ejusdem Caroli regis catholici desideriis, quantum in Domino possumus, semper favorabiliter annuere studuimus, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide, religionis zelo, ac summa in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut capitulum provinciale provinciae, et ordinis praedictorum quantocius juxta ejusdem ordinis constitutiones, et statuta auctoritate apostolica approbata fieri poterit, auctoritate Nostra apostolica convoces, in quo Nostro, et apostolicae Sedis nomine te praesidentem cum auctoritate, facultatibus, jurisdictione, honoribus, et oneribus similibus praesidentibus competentibus, ac alias solitis, et consuetis auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus, et deputamus. Tibi tum ministrum provincialem, tum definitores dictae provinciae nominandi, et ubi etiam hi novi sic electi officiales inter se nimis discrepent, omnes alios superiores, ac officiales ad omnia, et singula ejusdem provinciae munera juxta datam tibi a Domino prudentiam eadem auctoritate designandi, et deputandi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur. Volumus insuper, tibique injungimus, ut in eodem sic convocato capitulo alternativam praedictam inter Europeos in Hispaniis scilicet natos, et Croillos in America videlicet natos in fungendis dictae provinciae muneribus infrascriptis legibus, ac conditionibus Nostra auctoritate praedicta constituas, et firmes.

Leges concessioni adnexae.

§. 4. Primo, ut nempe in posterum nunquam quod ad unam ex fratrum hujusmodi classe spectat, alteri incorporetur, atque in incorporatione hujusmodi perficienda, non loci, ubi regularis professio ab eis respective emittetur, sed ubi tantum nati erunt, ratio habeatur, quod idem dictum esse statuimus pro iis, qui nunc eamdem provinciam constituunt: Secundo. Ut omnia, et singula officia, et munera, quae in tabulas capitulares referuntur, aequis partibus inter duas memoratas fratrum classes, ita ut quilibet illarum officiorum, ac munerum hujusmodi com-

prehensis praelaturis, et cathedris medietatem sibi habeat. Tertio. Ut alternativa hujusmodi a classe Europeorum exordiatur, ita ut provincialis, duo definitores, et custos ex Europeis, alii vero duo definitores ex classe Croillorum, seu Americanorum erunt sumendi; sic e contra in sequenti triennio provincialis, duo definitores, et custos ex Americanis, duo vero alii ex Europeis erunt, et sic deinceps alternatim erit semper servandum. Quarto. Ut deficiente, vel dimittente, aut quavis alia de causa vacante provincialatu, seu officio custodis in vicarium defecti provincialis, aut in substitutum custodis alter ex eadem classe sufficiatur, qui usque ad exitum incoepti triennii dumtaxat munere hujusmodi fungetur. Quinto. Ut sic pariter servetur, deficiente altero ex definitoribus, ut is nempe substituatur ei ex eadem classe, cui ex statutorum, ac constitutionum dicti ordinis hoc jus competit. Sexto. Ut deficiente ex-provinciale seniori, aut patre immediato, tunc ea, quae a generalibus constitutionibus apostolicis, ac legibus, et statutis dicti ordinis praescribuntur, omnino serventur. Septimo. Cum provincia praedicta ex decem ac septem conventibus, ac quatuor hospitiis constituatur, in quolibet propterea triennio classis, e qua assumptus erit provincialis habebit octo dumtaxat guardianias, seu guardianos, et duos praesides, seu praesidentias, ex altera parte erunt seligendi caeteri novem guardiani, et duo praesides, ita tamen, ut nulla ex guardianiis, seu praesidentiis hujusmodi uni classi peculiariter assignetur, ut hinc utraque classis majori, aut minori conventuum, et hospitiorum commodo aeque fruatur, ac omnia eis aeque communia sint. Octavo. Ut praelaturae, quae per unum triennium ab altera ex dictis classibus obtinentur omnes, et singulae in sequenti triennio ab altera classe adipiscantur, ut sic in omnibus utraque classis aequiparetur. Nono. Ut quod de praelaturis sancitum est, sic pariter dispositum habeatur pro substitutis nominandis usquedum officia praelaturarum, cathedrarum, pulpitorum, aliorumque hujusmodi in eadem classe conferantur. Decimo. Ut ex decem ac septem cathedris theologiae octo cuilibet classi assignentur, decima vero septima utrique classi alternatim exordiendo a classe Europeorum conferatur. Undecimo. Ut nec secus constituatur pro sex cathedris philosophiae subsistente vero septima cathedra hujusmodi in conventu de Mendoza, haec sic alternatim, ut de cathedris theologicis dispositum est, exordiendo semper a classe Europea, erit conferenda. Duodecimo. Ut pulpiti quoque inter Europeos, ac Croillos, seu Americanos aequis partibus dividantur, ita tamen, ut ubi duo essent praedicatores, seu concionatores principales singulus singulae donetur. Decimotertio. Ut cum commissario generali Indiarum dicti ordinis, ut asseritur, juxta sui ordinis constitutiones, et statuta spectet collatio cathedrarum tertiae theologiae, nisi praevia definitorii informatione de ac super qualitate candidatorum, ac servata semper inter duas classes alternativa praedicta, cathedras hujusmodi ei conferre liceat. Decimoquarto. Ut quatenus in altera ex dictis classibus tot non reperiantur alumni capaces ad sustinenda munera, ac officia classi hujusmodi debita, tunc, et eo casu munera, seu officia hujusmodi vacantia interim, ac per modum depositi individuis alterius classis erunt demandanda, usquedum scilicet in prima classi tot esse alumnos capaces probetur, quot requiruntur ad eadem officia, ac munera fungenda: hac tamen prima vice quatenus eligendi sint hi interinales officiales, tuum erit eos seligere, quos magis ad eadem officia idoneos pro tuo arbitrio, et conscientia reputabis, ita tamen, ut sic muneribus, ac officiis hujusmodi fungentes omnibus praerogativis, privilegiis, ac exemptionibus utentur, fruentur, et gaudebunt, quibus juxta constitiones, et statuta dicti ordinis usi, potiti, et gavisi essent, si eadem officia, ac munera non per modum depositi, ac interim eis fuissent demandata, sed ea in sua classe obtinuissent. Decimoquinto. Ut omnes tam Croilli, seu Americani, quam Europei, qui vel nuperrime eidem provinciae adfiliati sunt, vel in posterum concorporabuntur, ad omnia, et singula munera, ac officia dictae provinciae obtinenda juxta illorum meritum, ac idoneitatem capaces sint, ac etiamsi per tres annos munere guardiani perfuncti non sint, dummodo tamen in sua cujusque classe alii non sint opportunis, ac requisitis qualitatibus donati, in definitores eligi poterunt. Decimosexto. Ut pro eo, quod spectat ad alias faciendas electiones omnino serventur canonica, et dicti ordinis statuta suffragium ferentes decem jubilati, quinque in singulam classem, et uno ex eis deficiente antiquior jubilatus ejusdem classis in illius locum erit sufficiendus, nullo vero classis hujusmodi existente quemadmodum pro aliis officiis, ac muneribus cautum, praescriptumque est, sic pariter tunc per modum depositi, ac interim antiquior jubilatus alterius classis suffragium ferret, quod idem retinendum erit pro praedicatoribus generalibus de nu-

mero. Decimo septimo. Ut in qualibet capitulorum hujusmodi de ac super illorum interpretatione, aut quavis alia re dubietate, vel necessitate aliquid circa praemissa addendi, vel adimendi, prius a provisore, et definitorio, vel a te erit perpendendum, statuendumque, subinde commissario generali significandum, ut hoc ipsum firmet, suamque sententiam consilio Indiarum praedicto ad illius obtinendam approbationem, et executionem exhibeat.

Declaratio specialis.

§. 5. Haec sunt, venerabilis frater, quae ad constituendam memoratam alternativam per te in praedicto capitulo provinciali, ut praemittitur, praescribi desideramus. Volumus tamen, ut interim, et usque dum novi provincialis, definitorii, aliorumque praelatorum dictae provinciae electio fiat, modernos superiores praedictos in suis respective muneribus durare, licet terminus illorum respective electionis jam elapsus sit, hisce desuper omnes, et singulos juris, et facti defectus, qui quomodolibet intervenerunt, sanando, et validando, ita ut nunquam illorum administrationis, et gubernii dictae provinciae validitas controverti, aut in judicium vocari possit, auctoritate Nostra praedicta decernes, atque declares. Nos enim tibi non solum omnem, et quamcumque facultatem, quae circa praemissa, et alia quaecumque per constitutiones, et statuta dicti ordinis, atque apostolicas constitutiones commissario generali Indiarum ejusdem ordinis competet, sed etiam omnem aliam necessariam et opportunam ad haec omnia, et alia quaecumque, quae ad praemissorum omnium prosperum exitum quomodolibet spectare possunt, faciendi, gerendi, exequendi, et exequi mandandi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis eorumdem fratrum superioribus quocumque nomine nuncupatis, caeterisque, ad quos spectat, ut te in capituli provincialis praedicti, ut praefertur, convocandi Nostro, et Sedis apostolicae nomine praesidentem reverenter suscipiant, tibique in omnibus, et singulis praemissis pareant, obediant, et adsistant, tuaque salubria monita, et jussa humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Ac decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, quos illae concernunt quomodolibet in futurum cujusvis status, gradus, et dignitatis existant inviolabiliter, et inconcusse observari, nec non de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, et facti, vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus felicis recordationis Clementis pp. XIV. in simili forma brevis die. xvi. maii anni MDCCLXXI. expeditis literis, quibus eidem provinciae alternativam del Nord Sud nuncupatam concesserat, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et provinciae praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima quarta julii millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Dat. die 27 julii 1792 anno XVIII.

## CMIX.

Confirmatio decreti editi a sacra congregatione Rituum super approbatione cultus ab immemorabili praestiti beatae Maphaldae reginae Castellae.

### Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Laetamur Nos, nobiscum tota congaudeat Catholica Ecclesia, quod postquam fel. rec. Clemens pp. XI. praedecessor Noster per suas in simili forma brevis die xxiii. decembris anni MDCCV. expeditas literas duabus sororibus beatarum Theresiae, et Sanciae Saucii I. Portugalliae regis illustris natis altarium honores decrevit, in hisce difficillimis Ecclesiae temporibus singulari propemodum exemplo alterius illarum sororis ejusdem Sancii I. Portugalliae regis illustris pariter filiae, videlicet beatae Maphaldae reginae Castellae, ac deinde monialis ordinis Cisterciensis, et monasterii Sanctae Mariae de Arouca reformatricis cultum, et venerationem promovere Nobis reservatum sit. Cum mulieres ejusmodi, quae despectis saeculi opibus, propinquorum potentia, ac regali stirpe, e qua ortum duxerunt, ad pedes Christi advolutae quasi ipsum tenentes elegerunt abjectas esse in domo Dei, et arduas Christianae perfectionis semitas in odorem unguentorum coelestis regni alacres cucurrerunt, eo majoribus in Ecclesia Dei praeconiis sunt condignae, quo fortius secus infirmitatem transgredientes, luculentioribus praeluxerunt exemplis.

Expositio precum, et decreti s. congregationis Rituum.

§. 2. Cum itaque sicut dilecti filii Nicolaus, et Carolus Candidi, qui hujus causae in Romana curia postulatores legitime deputati existunt, Nobis humiliter exponi fecerint, quod cum alias a fel. rec. Innocentio pp. XII. praedecessore Nostro nempe die xxxi. julii anni MDCXCVII. commissio introductionis causae canonizationis ejusdem b. Maphaldae signata fuerit, constructisque apostolicis inquisitionibus in civitate ac dioecesi de ac super cultu, ab immemorabili tempore eidem b. Maphaldae praestito sive super casu excepto a decretis fel. rec. Urbano pp. VIII. praedecessore itidem Nostro a venerabili fratre episcopo Lamacensi subinde sententia super praedicto cultu probata fuerit: ac ipsis pariter exponentibus instantibus in congregatione venerabilium fratrum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum habita die xiii. martii currentis anni MDCCXCII. a venerabili fratre Nostro Andrea ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinali episcopo Sabinensi Corsini nuncupato propositum fuerit dubium = An sententia lata per rmum episcopum Lamacensem, ejusque vicarium generalem judices ab hac sacra congregatione delegatos super cultu ab immemorabili tempore eidem beatae exhibito sit confirmanda, seu potius: an constet de casu excepto a decretis S. M. Urbani papae VIII. in casu, et ad effectum, de quo agitur = eadem congregatio mature discusso processu informativo hac de re constructo, et tam in voce, quam in scriptis dilecto filio Carolo Erskine in utraque signatura Nostra referendario, ac fidei promotore desuper audito responsum edidit affirmative, quo decretum hujusmodi firmius subsistat, et servetur exactius Nicolaus, et Carolus postulatores praedicti apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Nos igitur piis carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae votis, ac enixis, demississque totius congregationis Cisterciensis Lusitanae, ac sanctimonialium regii asceterii s. Mariae de Arouca, nec non eorumdem postulatorum precibus hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, eosque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, decretum a memorata congregatione editum, ut praefertur, quod scilicet de casu excepto a decretis praedicti Urbani praedecessoris, sive de cultu publico ab immemorabili tempore dictae beatae Maphaldae praestito constet, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique apostolicae firmitatis robur adiicimus: salva semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4 Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit in futurum plenissime suffragari, et inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices, ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quo-

quam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxvii. julii MDCCXCII. pontificatus Nostri anno decimoctavo.

---

Dat. die 3 augusti 1792 anno XVIII.

## CMX.

Beatificatio ancillae Dei Catharinae Thomasiae canonissae regularis ordinis s. Augustini.

### Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Laudes ancillae Dei.

§. 1. Inter tot, tantosque errorum seditionum, ac discordiarum fluctus, quibus in hisce maximis reipublicae christianae temporibus ita navicula Petri undique conflictatur, ut nisi ex divino oraculo certiores facti essemus adversus illam portas inferi nequaquam praevalituras valde metuendum foret, ne tandem aliquando penitus obrueretur, haereses etiam, quae jampridem ab Ecclesia fuerant perculsae, ac damnatae rursus emergunt, nec desunt perduelles, qui nuptias castitati, connubia virginitati ore impudico praeferenda esse asserunt: ex beneficentissima tamen misericordiarum patris providentia dispositum est, ut hisce quoque diebus in quibus abundavit delictum, superabundaret et gratia nova quotidie in Ecclesia Dei castimoniae etiam in sexu fragili suppeditans specimina divitias suae bonitatis, et gratiae in ancilla sua Catharina Thomasia canonissa regulari ordinis sancti Augustini in monasterio sanctae Mariae Magdalenae Palmae Balearium Majoricensis dioecesis expresse professa manifestaverit.

Approbatio cultus ipsi Catharinae tributi

§. 2. Quamobrem ex debito apostolici ministerii officio, quod pastorum princeps Christus Dominus per ineffabilem clementiae suae abundantiam humilitati Nostrae imponere dignatus est, ipsius Catharinae cultum ad omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiae decus promovere tenemur, ut universis christifidelibus uberiora hinc, et ad convellendos philosophantium errores suppetant argumenta, et ad imitandum exempla. Haec siquidem humili insulae Majoricae, quae est altera ex insulis Balearibus, loco nata, ac in prima sua aetate utroque parente orbata apud suos propinquos divertit, quicum vitam agrestem ducerent, ipsa quoque hoc vitae genus amplexa est, ita tamen ut, ut Dei gratia praeventa, ac fortiter superatis innumeris domesticis, externisque tentationibus, quae ab antiquo hoste quotidie suscitabantur tanta profecerint virtute, ut non solum omnes omnino mundi illecebras, carnisque oblectamenta aspernata sit, sed etiam ab his prorsus abhorruerit, unde in religione se propius Deo mancipari desiderans tandem voti compos facta sic suam vitam instituit, ut ob morum integritatem, candorem, et castitatem tamquam lampas in candelabro posita caeteris ejusdem asceterii sanctimonialibus semper praeluxerit usque dum in coelestis sui sponsi amplexibus evolavit in coelum.

Judicium congregationis rituum super illius virtutibus in gradu heroico.

§. 3. Cum itaque mature diligenterque discussis, atque perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de apostolicae Sedis licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus eadem Dei ancilla Catharina Thomasia multipliciter claruisse, nec non miraculis, quae ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem adeo patrata fuisse asserebantur, eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit posse, quandocumque Nobis videretur praedictam Dei ancillam beatam declarari cum solitis indultis.

Beatificatio.

§. 4. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis nonnullorum venerabilium fratrum antistitum, universitatum, ac totius cleri, et populi Majoricensis supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de eorumdem cardinalium congregationis consilio, et assensu auctoritate apostolica tenore praesentium ad majorem Dei gloriam, et Ecclesiae quidem universae praesertim monastici ordinis decus, et ornamentum indulgemus, ut eadem Dei ancilla Catharina Thomasia imposterum beatae nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquiae venerationi fide-

lium ( non tamen in processionibus circumferendae ) exponantur.

Concessio officii et missæ de communi virginum non martyrum.

§. 5. Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, et de ea quotannis die ab ordinariis, regulariumque praesulibus ordinum, ad quos spectat, designanda recitetur officium, ac missa de communi virginum non martyrum cum orationibus a Nobis approbatis juxta rubricas breviarii, et missalis Romani. Porro recitationem officii, et missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo ordine canonicorum regularium sancti Augustini utriusque sexus in civitate, omnique dioecesi Majoricensi, in qua Dei famula diu vixit, obiit, et venerabile ejus corpus requiescit, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam saecularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et quantum ad missas attinet etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus.

Destinatio diei pro celebratione solemniorum in basilica princip's apostolorum.

§. 6. Praeterea hoc anno dumtaxat, videlicet post praesentes literas emanatas, et quoad Indias a die qua eaedem literae illuc pervenerint, inchoando in ecclesiis ordinis, et civitatis praedictorum solemnia beatificationis ejusdem Dei famulae cum officio, et missa sub ritu duplici majori ab ordinariis respective constituta postquam tamen in basilica principis apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem duodecimam currentis augusti assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii praedictae congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die iii. augusti MDCCXCII. pontificatus Nostri anno decimo octavo.

## IN FESTO BEATAE CATHARINAE THOMAS VIRGINIS

canonissae regularis professae ordinis s. Augustini in monasterio s. Mariae Magdalenae Palmae Balearium.

### ORATIO

Preces in honorem b. Catharinæ recitandæ.

§. 8. Supernorum munerum donator Deus, qui b. Catharinam virginem insidias diaboli superare fecisti: concede, quaesumus, ut ejus meritis, et precibus nos quoque hostium impetus vincere, et aeternam palmam assequi valeamus. Per Dominum nostrum etc.

### SECRETA

Similis ut supra.

§. 9. Coelestem hostiam offerentes te quaesumus, misericors Deus, ut eum nobis charitatis ardorem infundas, quo beata Catharina ad sacram mensam incensa accedebat. Per Dominum nostrum etc.

### POSTCOMMUNIO

Alia ut supra

§. 10. Deus, qui b. Catharinam virginem tuam coelesti gloria sublimasti; da nobis sacris muneribus refectis, ut ejus intercessione ad aeterna gaudia perveniamus. Per Dominum nostrum etc.

---

## DECRETUM = MAJORICEN.

Confirmatio apostolica.

§. 11. Sanctissimus Dominus noster Pius VI. pont. max. ad humillimas preces postulatoris causae ven. servae Dei Catharinae Thomasiae, suprascriptas orationes a R. P. D. Carolo Erskine fidei promotore revisas, eodem referente, approbavit, atque in missa solemni celebranda in basilica Vaticana pro beatificatione ejusdem ven. servae Dei, nec non ab omnibus quibus a Sanctitate sua officium, et missam in ejus honorem celebrandi potestas fiet, recitari posse concessit. Die xviii. julii MDCCXCII.

Dat. die 7 augusti 1792 anno XVIII.

CMXI.

Exemptio duorum monasteriorum monialium a gubernio canonicorum regularium Windesimensium, horumque subjectio episcopo Antuerpiensi.

Venerabili fratri Cornelio Francisco episcopo Antuerpiensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Sacrarum virginum, quae contemptis mundi illecebris coelestis agni nuptiis arctissimo foedere se dedicarunt, ex debito pastoralis officii peculiarem curam gerentes ad ea libenter intendimus, per quae prospero, felicique eorum statui consultum fore arbitramur.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, jampridem, nempe ab anno MDCCLXXXV. ob suppressionem prioratus Rubeae Vallis canonicorum regularium ordinis sancti Augustini paulo ante sequutam, dilectae in Christo filiae priorissa, et canonissae regulares monasterii Praesentationis beatae Mariae virginis Immaculatae dudum in loco Oos malle erecti, subinde autem ad istam civitatem Antuerpiensem translati, et jurisdictioni dicti prioratus utrobique subjecti, promoventibus, et instantibus apud te priore dicti prioratus ejusdemque monasterii spirituali directore sub tuo regimine, et gubernio receptae fuerint, ad praesens vero ex eo quod dictus prioratus restitutus existit, ejusque prior jurisdictionem, ut antea, super eas, utpote a felicis recordationis Innocentio III., et Alexandro etiam III. Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris Windesimensi sui ordinis capitulo tributam, te absente, et inconsulto exercere non dubitaverint, ipsae in maximis versentur sui spiritus angustiis, cupientes sub tua directione, et jurisdictione degere, et permanere; quod utique canonissae regulares monasterii Vallis Mariae Facous nuncupatae dictae civitatis pari modo suppressae, et in unum se colligere cupientes sibi concedi plurimum desiderant.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 3. Hinc est, quod Nos ad avertenda ea omnia, quae monasteriorum hujusmodi conservationi, et incremento quomodolibet obesse possunt pro Nostro pastorali munere intenti; de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum ad quos supplicem libellum Nobis desuper porrectum remisimus, consilio: utrumque monasterium hujusmodi, eorumque canonissas, res, et bona quaecumque ab omni jurisdictione, gubernio, et auctoritate dictorum capituli, et canonicorum Windesimensium, et prioris Rubeae Vallis praedictae auctoritate apostolica tenore praesentium eximimus, et subtrahimus, eaque spirituali, et temporali tuae, et pro tempore existentis episcopi Antuerpiensis curae, et jurisdictioni auctoritate, et tenore praedictis subjicimus, ac subjecta fore, et esse volumus, et declaramus: ac propterea fraternitati tuae, de cujus fide, prudentia, integritate, et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per easdem praesentes committimus, et mandamus, ut monasteria hujusmodi sub tuis cura, et jurisdictione juxta earumdem praesentium tenorem quamprimum suscipias. Mandantes in virtute sanctae obedientiae capitulo, et canonicis Windesimensibus, necnon priori praedictis, ne in iis, quae monasteriorum hujusmodi regimen, et gubernium tam spirituale, quam temporale quomodolibet respiciunt, ullatenus se ingerere audeant, vel praesumant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Ac decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, tibique in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et monasteriorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis,

ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

---

Dat. die 14 augusti 1792 anno XVIII.

## CMXII.

Confirmatio decreti clarae mem. Caroli III. regis Hispaniarum circa creationem parochiae in loco Balsaim nullius dioecesis s. Idelphunsi provinciae Toletanae, nec non parochi nominationem, cum declaratione super erronea enunciativa, quae in literis fel. rec. Benedicti pp. XIII. erectionis abbatiae nullius dioecesis sancti Idelphunsi provinciae Toletanae irrepsit.

### Pius PP. VI.

### Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Quoties a Nobis petitur, quod ad tollendas controversias inter ecclesiasticas praesertim personas scite dispositum est, animo Nos decet libenti concedere, ac petentium desideriis, dum maxime in sublimi regia dignitate sunt constituti, congruum suffragium impertiri.

Expositio precum.

§. 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici expositum fuit, quod alias felicis recordationis Benedictus pp. XIII. praedecessor Noster ad preces clarae memoriae Philippi V., dum vixit, Hispaniarum regis catholici ecclesiam ab eo in loco sancti Idelphunsi Segobiensis dioecesis magnifice aedificatam in saecularem insignem collegiatam, ac parochialem erexit, ac in ea inter coetera, praevia loci sancti Idelphunsi praedicti, suique adnexi territorii a quavis jurisdictione, superioritate, et visitatione episcopi Segobiensis dismembratione, ac separatione, abbatiam saecularem instituit, ac abbati hujusmodi pro tempore existenti territorium sic a dioecesi Segobiensi separatum, ac dismembratum plenissime subjecit: voluitque praeterea, ut canonicus poenitentiarius collegiatae hujusmodi pro tempore existens curam animarum territorii hujusmodi privative gereret, prout in literis ab ipso Benedicto praedecessore anno septingentesimo vicesimo quarto incarnationis Dominicae tertio decimo kalendas januarii sub plumbo expeditis uberius dicitur contineri.

Memoratur error enunciativæ irreptus in literis Benedictionis.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat in memoratis Benedictinis literis error enunciativae irrepserit, cum pro loco sancti Idelphunsi dictum fuerit in loco Balsaim; hinc ab anno usque millesimo septingentesimo octuagesimo primo canonico poenitentiario dictae collegiatae, et parochialis ecclesiae sanctissimae Trinitatis visum est nominationem cappellani ecclesiae loci de Balsaim veluti de suo vicario sibi spectare, e contra abbas sancti Idelphunsi cappellanum hujusmodi sibi obnoxium esse arbitrabatur, qua propter ad praecidendas lites, sustulendaque dubia, quae hisce desuper suscitari poterant, clarae memoriae Carolus III., dum vixit, Hispaniarum pariter rex catholicus, ac memorati Caroli regis exponentis parens statuit, ut cum primum cappellania de Balsaim vacasset, ab abbate tunc existente sancti Idelphunsi ecclesia loci praedicti in parochiam, seu vicariam perpetuam servatis servandis erigeretur, utque ab abbate sancti Idelphunsi pro tempore existenti servatis pariter servandis tres personae ad curam animarum idoneae sibi, suisque successoribus regibus catholicis pro tempore existentibus nominarentur, inter quas ab ipso, vel ab ipsis instituendus eligeretur.

Ratio concessionis.

§. 4. Nuper cappellania hujusmodi vacavit, eaque propter erecta in parochiam ecclesia praedicta, factoque juxta formam Tridentini concilii concursu, memoratus Carolus rex catholicus inter tres ab abbate, ut praefertur, nominatos selegit dilectum filium Joannem Angelum Ortiz; quo tamen a memorato Carolo III. disposita firmius subsistant, et serventur exactius dictus Carolus rex catholicus Nobis humiliter supplicari fecit, ut non solum disposita hujusmodi confirmari, verum etiam errorem enunciativae praedictae declarare, ac emendare dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 5. Nos igitur ipsius Caroli votis quantum cum Domino possumus semper annuere volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, omnia, quae a Carolo III. circa ecclesiae loci Balsaim praedictae erectionem in parochiam ac nominationem parochi fuerunt scite disposita, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, siqui in praemissis intervenerint, vel intervenisse dici, censeri, vel praetendi possent,

supplemus, et sanamus. Praeterea, quod nisi per errorem in memoratis Benedictinis literis fuerit enunciatum, memoratam ecclesiam sanctissimae Trinitatis in collegiatam, ac parochialem, ut praefertur, erectam in loco Balsaim sitam existere, ideoque locum praefatum, suumque territorium nullius dioecesis de Balsaim provinciae Toletanae nuncupandum auctoritate, et tenore praedictis declaramus: utque deinceps, ac perpetuis futuris temporibus non obstante erronea enunciativa praefata, perinde ac si in eisdem literis dictum esset in loco sancti Idelphunsi existere memoratam ecclesiam collegiatam, parochialem, et abbatialem haberi, et censeri, nec non dictus locus suum territorium, nullius dioecesis sancti Idelphunsi in posterum dici, nuncupari, et nominari debeat, auctoritate, et tenore praedictis statuimus, et mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes has praesentes literas semper firmas validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit in futurum plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus memoratis Benedictinis literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit collegiatae, et parochialis praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta augusti millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

---

## CMXIII.

Dat. die 28 augusti 1792 anno XVIII.

Ut fratres laici ordinis minorum s. Francisci ad novitiatum admitti non possint, nisi post triennium tertiarii fuerint.

### Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Quoties a Nobis petitur, quod ad retinendam inter christifideles, qui in religione Deo propius famulari susceperunt, regularem disciplinam, vel ubi collapsam in suum pristinum candorem restituendam opportunum, atque accomodatum dignoscitur, animo Nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii commissarius generalis, et definitorium fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum familiae Cismontanae, quod alias a capitulo generali fratrum dicti ordinis in conventu Aracoelitano almae Nostrae urbis anno millesimo sexagesimo decimo secundo convocato pro utraque familia Cismontana scilicet, et ultramontana fuit decretum, ut nullus tertiarius, vel conversus Nostrae religionis ad habitum clericorum, vel laicorum admittatur, quod sine dispensatione a ministris provincialibus observetur: quod quidem decretum licet postmodum insertum fuerit in statutis fratrum ejusdem ordinis reformatorum anni millesimi sexagesimi quadragesimi secundi in forma specifica, ut asseritur, a felicis recordationis Urbano pp. VIII. praedecessore Nostro confirmatis, tamen illud in alio capitulo generali anno millesimo sexagesimo quadragesimo quinto Toleti habito fuit moderatum, ac pro familia ultramontana sancitum: ut nullus donatus, seu tertiarius habitu religionis vestiatur, nisi explorata ejus honesta conversatione per septennium, et requisita facultate a reverendissimo generali, vel commissario generali: Immo temporis progressu factum est, ut inter fra-

tres familiae, et ordinis praedictorum inducta sit consuetudo hic usque summa cum utilitate retenta, quia nullus inter laicos ejusdem familiae ultramontanae admittitur, quin prius per aliquod tempus superiorum arbitrio praefigendum illius vocatio in habitu tertiarii periclitetur.

Ratio concessionis.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat etiam pro familia Cismontana non raro usuvenire compertum sit fratres laicos, qui saepe saepius pro temporalibus conventuum commodis, atque ad emendicanda victualia cum saecularibus familiariter ubi tenentur, serius ocius a pristino religionis studio deficere, quod dedecori est ordini praedicto, memorati exponentes cum ex eo praesertim tantum malum proficisci arbitrentur, quod, cum in fratribus laicis ea de causa optima morum indoles, ac maxima pietas requiratur, unius dumtaxat anni periculum, seu novitiatus in tam cognitu difficili, insufficiens sit, hinc quo aliquod firmum, ac praesens remedium hisce incomodis adhibeatur; Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur pro paterna benevolentia, qua eumdem ordinem in Domino prosequimur, ea omnia, quae eidem ordini apud christifideles detrimentum inferre possunt, avertere cupientes, ipsosque exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in posterum, ac perpetuis futuris temporibus nullus ad habitum, multo minus ad professionem fratrum laicorum ordinis, et familiae praedictorum admittatur, nisi prius atque ante novitiatum saltem per triennium in habitu tertiarii de sua honesta conversatione, summa pietate, ac optima morum indole per omnes regularis observantiae, mortificationum, primi novitiatus, aliorumque hujusmodi semitas specimen praebuerit, auctoritate apostolica tenore praesentium constituimus, atque mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum capitulorum generalium, quatenus opus sit, aliisque ordinis, et familiae praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima octava augusti millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri, anno decimo octavo.

Dat. die 28 augusti 1792 anno XVIII.

CMXIV.

Instantibus presbyteris secularibus missionariis domus sancti Petri a Cesarano Nolanae dioecesis eisdem communicantur privilegia, et gratiae spirituales congregationis Piorum Operariorum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Pastoris aeterni, qui pro gregis salute in ara crucis immolari voluit, vices quamquam immeriti gerentes in terris pia christifidelium vota, divini cultus augmentum, ac ipsorum fidelium salutem concernentia ad exauditionis gratiam libenter admittimus eosdem fideles ad pia opera, et devota exercenda indulgentiis, et peccatorum remissionibus invitamus, ut per operum hujusmodi exercitium ad aeternae beatitudinis gaudia pervenire mereantur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut dilecti filii rector, et presbyteri saeculares missionarii in domo sancti Petri a Cesarano Nolanae dioecesis congregati exponi Nobis nuper fecerunt, licet alias domus missionum, seu congregatio hujusmodi ab alumno congregationis presbyterorum saecularium Piorum Operariorum fuerit erecta, ac fundata, ut illius alumni tum in missiones, tum in excipiendas sacramentales fidelium confessiones, tum in alia pia opera hujusmodi se exercerent, ac nonnullis de causis domus hujusmodi eidem congregationi Piorum Operariorum fuerit nunquam unita, tamen ipsi exponentes privilegia, gratias spirituales, et indulgentias, quibus praefata congregatio Piorum Operariorum utitur, potitur, et gaudet de praesenti suae congregationi praedictae a Nobis communicari summopere desiderant.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, enarratam communicationem privilegiorum, gratiarum spiritualium, et indulgentiarum quibus praefata congregatio Piorum Operariorum de praesenti potitur, et gaudet, eidem congregationi domus sancti Petri a Cesarano Nolanae dioecesis donec ea subsistat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum per praesentes non intendimus primodictam congregationem, illiusque institutum in aliquo approbare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima octava augusti millesimo septingentesimo nonagesimo secundo pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Dat. die 4 septembris 1792 Anno XVIII.

## CMXV.

Unio beneficii ecclesiastici parochiali ecclesiae de Torres Vedras Lisbonensis dioecesis.

Dilecto filio officiali venerabilis fratris patriarchae Lisbouensis.

Pius PP. VI.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut dilectus filius Benedictus Josephus Vincentius Matthaeus Duran prior nuncupatus parochialis ecclesiae sancti Petri de Torres Vedras Lisbonensis dioecesis, quae (ut asseritur) de jure patronatus carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae existit, Nobis nuper exponi fecit, redditus dictae parochialis ecclesiae adeo sint exigui, ut ad decentem prioris pro tempore substentationem, suique muneris exercitium probe obeundum non sufficiant, quo autem huic incommodo facilius occurri possit, quoddam perpetuum ecclesiasticum beneficium aliquam personalem residentiam forsan requirens in praedicta ecclesia existens per obitum quondam Constantini Mendez de Gouvea Zagalo, qui illud dum viveret obtinebat, ad praesens vacans, deque simili jure patronatus, ut etiam asseritur, existens, cujus nominatio, dum illud pro tempore vacaret, ex regia donatione, ad priores dictae parochialis ecclesiae etiam pro tempore existentes spectabat, eidem parochiali ecclesiae per Nos uniri, et incorporari summopere cupiat, atque ad id ejusdem Mariae Franciscae reginae expressus accedat assensus. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, ecclesiasticum beneficium praedictum, cujus valorem praesentibus haberi volumus pro expresso dictae parochiali ecclesiae sancti Petri de Torres Vedras, suppresso illius titulo collativo, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo unias, et incorpores; dictoque exponenti, ut ipse ejusdem beneficii, illiusque bonorum, et fructuum veram, realem, et actualem possessionem per se, vel alium, seu alios suo, dictaeque parochialis ecclesiae nomine libere apprehendere, et apprehensam retinere, illiusque fructus, redditus, et proventus percipere, exigere, et levare, ac in suos, dictaeque parochialis ecclesiae usus, et utilitatem convertere libere, et licite possit, ac valeat, auctoritate, et tenore praedictis concedas, et indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula, de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, deque exprimendo vero annuo valore beneficiorum, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac quatenus opus sit felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non parochialis ecclesiae praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta septembris millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

## CMXVI.

Dat. die 7 septembris 1792 anno XVIII.

Instante parocho et clero parochialis ecclesiae sanctae Columbae ad Farnes Gerundensis dioecesis, confirmatur decretum congregationis Rituum super facultate celebrandi quotannis unum novendiale cum missa cantata in suffragium defunctorum.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii parochus, et clerus ecclesiae parochialis sanctae Columbae ad Farnes nuncupat. Gerundensis dioecesis, quod ipsi quo melius animabus christifidelium defunctorum suffragia praestare valeant, unum novendiale quolibet anno ad earum levamen in dicta parochiali ecclesia celebrari posse summopere cupiunt. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, attenta relatione dilecti filii magistri Caroli Erskine fidei promotoris: ut imposterum in dicta parochiali ecclesia sanctae Columbae singulis annis novemdiale in suffragium fidelium defunctorum cum unica missa cantata de requiem celebrari possit, exceptis diebus, in quibus occurrat festum duplex primae, et secundae classis, et festivis de praecepto ecclesiae, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae parochialis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die septima septembris millesimo septingentesimo nonagesimo secundo pontificatus Nostri anno decimo octavo.

---

## CMXVII.

Dat. die 17 septembris 1792 anno XVIII.

Erectio octo canonicatuum, et quatuor residentialium beneficiorum in insigni collegiata ecclesia sancti Andreae apostoli Sublaci, nec non institutio decem subsidiorum dotalium, quae anno quolibet Sublacensibus puellis concedentur.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Decorem domus Dei amplificare summopere sollicíti quemadmodum Nos in abbatia Sublacensi, cujus regimen jam pridem susceptum adhuc retinemus ad fidelium religionem, ac pietatem magis confovendam praecipuum templum omnipotenti Deo, adscitis etiam aliquot in animarum curam sacrorum ministris, magnificenter extrui curavimus. Ita nunc alios ad divini cultus celebritatem, e sacrae psalmodiae frequentiorem recitationem oblata Nobis occasione instituere exoptamus. Ea siquidem est hostiae laudis, et fructus labiorum confidentium nomini Domini praestantia, et virtus, ut perenni illi caelestium spirituum collaudationi fere aequiparentur.

Status haereditatis Cajetani Caroni exponitur.

§. 2. Id sane animo Nostro reputantes novas dilecti filii Petri Caroni presbyteri Sublacensis rei familiaris Nostrae subcuratoris Nobis humiliter oblatas preces rite excipere, et expendere non abnuimus, alias quippe ipse Nobis exposuerat in testamentariis postremis tabulis quondam Cajetani etiam Caroni ejus germani fratris die xxii decembris MDCCLXXV. Bononiae defuncti illum demandasse, ut ab ejus haereditate summa quingentorum scutorum monetae Romanae educeretur, eaque traderetur vel confraternitati sanctissimi Sacramenti, vel alteri Suffragii Sublaci, aut ab ipsius commissariis retineretur ad effectum illa investiendi, ac redditus erogandi in celebratione unius an-

niversarii ex tot missarum de hebdomada in hebdomadam pro suae, aliorumque inibi designatorum animarum expiatione. Quo vero ad omnigenam ejus haereditatem illius tunc uxore, et altero fratre Josepho pariter Caroni viventibus diversam habuisse rationem, quia nimirum a paternis bonis alia secrevit, quae ex industria ipsemet acquisiverat, atque primorum fratribus, aliorum vero uxori reliquisse usumfructum; ita tamen quod uxoris obitu sequuto, integer usufructus in Josephum, et Petrum fratres, et demum in quem ex ipsis superstes foret, coalesceret; cunctis vero usufructuariis deficientibus praecepisse, ut ex utraque bonorum specie opus Sublaci pium institueretur favore puellarum, et viduarum quas universales scripsit haeredes demandato confalonerio, et prioribus communitatis pro tempore existentibus forma bonorum fructus illis distribuendi. Verum quia sicut ipse Petrus subjungebat, paternorum, et haereditariorum bonorum usufructus tantum eis obventurus juri minime consonum fratres ipsi censebant, quoniam cum bona illa tam paterna, quam ab haereditate quondam Angeli Antonii Vetromili procedentia nimis ab auctoribus aere alieno gravata ab Josepho, et Petro dimissis absque Cajetani dispendio creditoribus penitus evicta fuerint, ideo illorum proprietatem ipsos acquisivisse non dubitabant.

Judicium de juribus haereditariis latum ab r. p. d. Pelagallo judice commissario.

§. 3. Ad Nos propterea habitu recursu dilectum pariter filium magistrum Carolum Andream Pelagallo in utraque signatura Nostra referendarium judicem, ut hac de re cognosceret, et quavis appellatione remota, sententiam ferret auctoritate Nostra deputavimus. Cumque ipse vocatis communitate Sublacensi, et speciali pro puellis, et viduis constituto procuratore post diuturnum et maturum examen tandem die xvi. maji MDCCLXXXI. sententiam protulerit, ex qua de credito dictorum Petri, et Josephi adeo constare decisum fuit, ut ex redditibus illorum bonorum dispositio a Cajetano ordinata minima subsistere queat. Ac propterea universa illius haereditas ex uno a marchione Sigismundo Gavasini Ferrariensi in summa scutorum quinque millium quingentorum, et trigintaquinque die xix junii MDCCLXXX. ad scutorum quinque per Dominici Antonii Schiappi Bononiensis; et altero a communitate, et hominibus oppidi de Lugo scutorum bismille sexcentum et sexaginta octo die x. martii MDCCLXX. ad scutorum quatuor per Philippi Guarmani etiam Bononiae, ac reliquo perpetuis censibus a Gaspare Reali scutorum bismille die xix septembris MDCCLXXXVII. ad scutorum quinque pro quolibet centenario et anno respective rationes per acta Salvati Tibure notariorum stipulata instrumenta publica impositis, nec non locis quatuor, et centesimis sexaginta quatuor locorum montium non vacabilium diversarum specierum acquisitis titulo operis pii Caroni cum reservatione fructuum eidem Petro ejus vita naturali durante. Qui, et quae insimul annui sunt redditus scutorum quadringentorum, et nonaginta septem cum obulis quatuordecim monetae Romanae nonnullis vitalitiis legatis in annua summa scutorum centum, et viginti ejusdem monetae adhuc obnoxia constituatur.

Providentiae excogitatae ne Cajetani dispositio inanis prorsus foret post latum judicium quod eam summopere imminuit.

§. 4. Post haec defuncto Josepho, ne Cajetani dispositio inanis prorsus foret, ipsi Petro congruum magis visum fuit, ut ex iis censibus, et locis montium conservatorium pro puellis illic erigeretur, atque ad hunc effectum illum ad alios proprios, sibique acquisitos annuos census in augmentum reddituum assignandos paratum esse asserebatur; ejus propterea nomine Nobis pariter supplicatum fuit ad propositum conservatorium Cajetani dispositionem accomodaremus. Nos autem dum in urbe Nostra ad puellarum pudicitiam, et honestatem servandam aucto confugiorum numero opem illis et suppetias assidue praebemus, illiusque jamdiu extentis ampliationi ingenti sumptu operam praestam curamus, aequiori sane animo preces hasce excepimus, et auditis magistratu, et confraternitate sanctissimi Sacramenti per chirographum sub die iii julii MDCCLXXXVIII. a Nobis signatum dispositionem Cajetani ad effectum praemissum, comprehensa etiam summa praefatae confraternitati assignata, commutare non dubitavimus. Abinde vero citra idem Petrus, defuncto Josepho, unicus de familia Caroni superstes, qui actum aliquem legalem circa propriorum bonorum dispositionem minime elicuerat per triennium, et ultra perpendens nimis arduum fore, et immodico dispendio obnoxiumo pus praeconcoeptum conservatorium ex integro instruendi. Quodque si census sive fratris, sive proprii ad priorum sumptuum necessitati occurrendum alienarentur, redditus tunc minores essent, et insufficientes tutia, itaque mente volutans illius chirographi executioni operam praebendi detractavit.

Bona haereditaria conceduntur pro nova erectione canonicatuum.

§. 5. Sed quia objectum dudum sibi propositum, et constanter servatum eo spectabat, ut voti sui erga patriam non exiguum aliquod extaret monumentum, ideo illud ad divini cultus augmentum convertit novam propterea apud Nos instauravit supplicationem, ut nimirum in

peramplo templo alii sacrorum ministri addicerentur. Et ne de expressae voluntatis suae sententia dubium aliquod oriretur per publicum instrumentum in actis dilecti quoque filii Anselmi Sagliani camerae Nostrae secretarii irrevocabilem sponte donationem, quae dicitur fieri inter vivos, effectum tamen post sui obitum habituram emisit, cujus vigore praeservata unice approbatione, et acceptatione Nostra, infrascriptos decem annuos census ab ipso acquisitos, unum nimirum a Crispino Tummolini scutorum sexcentum die xi octobris MDCCLXXVII. ad rationem scutorum quinque per Consalvi Sublaci; et alium ab eodem Crispini scutorum quingentorum, die ix decembris MDCCXC. ad rationem scutorum sex per Stelrih Romae, ac alium a Carmelo Merosi in summa scutorum nongentorum die xxv januarii MDCCXC. ad rationem scutorum quinque per dicti Stelrih; et alium ab ipso Jacobo Contestabile in summa scutorum sexcentum die xxix maii MDCCLXXXVIII. ad rationem scutorum quinque per Velli Sublaci, ac alium ab ipso Jacobo in summa scutorum quatuorcentum die xxx octobris MDCCLXXXIX. ad rationem scutorum quinque per ejusdem Velli, ac alium ab eodem Jacobo scutorum biscentum, et quinquaginta die v februarii MDCCXCI. ad rationem scutorum quinque per dicti Consalvi; et alium ab Angelo Antonio Appodia scutorum centum die ii novembris MDCCXC. ad rationem scutorum sex per ejusdem Consalvi, ac alium a Francisco Luciani scutorum centum die xxv octobris MDCCXC. ad rationem scutorum quinque per dicti Velli, et alium a Josepho Catani scutorum quatuorcentum die xxi octobris MDCCXCI. ad rationem scutorum quinque per Consalvi praefati, ac reliquum perpetuos census a Clemente Gizzi dilectis pariter filiis in summa scutorum centum monetae Romanae die xiii novembris MDCCXCI. per dicti Velli notariorum publicorum respective acta ad rationem scutorum sex ejusdem monetae pro quolibet centenario, et anno respective rationes stipulata publica instrumenta impositos, ac insuper unum investimentum scutorum mille, et octingentorum a Vincentio, aliisque fratribus Lucidi die ix novembris MDCCLXXXIX. ad rationem scutorum quinque pro quolibet centenario et anno ex instrumento per acta saepedicti Velli factum. Et demum summam scutorum nongentorum similis monetae Romanae quam Petrus se paratum habere asseruit ad effectum illam integre, seu pluribus in ratis investiendi cum annuo redditu scutorum saltem quinque pro quolibet pariter centenario, et anno. Ita quod census, et investimenta hujusmodi insimul annui sint, et futuri sint redditus scutorum tercentum et triginta novem, et obulorum quinquaginta monetae Romanae coram testibus, et omni meliori modo solemniter cessit, transtulit, et donavit, quatenus Nos commutari denuo ipsius Cajetani dispositionem, census, et loca montium ab illo relicta una cum his a Petro donatis uniremur ad effectum fundationis octo canonicatuum, totidemque praebendarum, nec non quatuor beneficiorum, seu mensionariarum, pariterque institutionis decem subsidiorum dotalium quotannis puellis Sublacensibus adstribui debeant, certis praescriptis oneribus, et obligationibus. Et pro praemissorum executione in sui commissarium elegit venerabilem fratrem Nostrum Gregorium Bandi archiepiscopum Edissenum, in cujus auxilium dilectum pariter filium Josephum Bagnani Sublacensem adjecit.

Aliae concessiones ad eumdem effectum factae a Petro Caroni.

§. 6. Insuper cum in donatione hujusmodi ipsius Petri alia quaecumque bona praeter enunciatos census minime comprehensa fuerint, sed tam illorum portio, quae ut praefertur, evicta fuit, quam alia bona etiam stabilia, atque mobilia cujuscumque generis, et speciei in illius plena, liberaque potestate, et dominio remaneant, non ideo de illis nulla est habenda ratio, quia ipse in eodem instrumento declaravit, et expresse voluit quod si ab eo de illis omnibus vel in parte minime disponi contigerit, vel omnia, vel pars superstes suae haereditatis sub eadem donatione comprehendantur, tribuitque illius executoribus diligenti praemisso inventario facultatem augmentum fructuum horum bonorum vel integre, vel in parte canonicatibus et praebendis actu erectis vel addendi alios, aut erogandi fructus hujusmodi prout ipsis magis placuerit, quoniam id in omnibus, et per omnia prudenti eorum arbitrio detulit. Nonnulla demum a futuris canonicis, et beneficiatis, seu mansionariis adimplenda, et a Nobis praescribenda proposuit, quae in eodem instrumento late sunt expressa.

Erectioni pontifex annuit.

§. 7. Quibus omnibus ad Nos delatis non ita pridem novis hisce ipsius Petri precibus proclives esse duximus, nisi prius rem totam ex integro perpenderemus, sed cum quilibet desit actus cujus vi ad primaevum sensum ille adigi queat, et causae ejus variationis gratia expositae plane suadeant, nimis difficile futurum opus conservatorium undique instructum stabile reddere; ecoverso vero eum ipse modo animum suum ita aperuerit, ut ab elicito actu resilire nequeat, compertumque etiam

sit et manifestum in illo peramplo templo quamvis sacrorum ministris a Nobis aucto ad divini cultus dignitatem, et augmentum alios quoque referendi opportunum. Ideo praemissis prout infra obsecundandum in Domino arbitramur.

Revocat praecedentes literas datas pro erectione conservatorii puellarum, et testamentariam Cajetani dispositionem commutat.

§. 8. Nos igitur motu Nostro proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine in primis chirographum praemissum, cujus integrum tenorem praesentibus pro expresso habemus, omniaque, et singula in eo contenta, et expressa, quae effectum suum minime sortita sunt, per praesentes Nostras literas revocamus, cassamus, abrogamus, et annullamus, viribusque, et effectu penitus evacuamus perinde ac si a Nobis minime fuisset signatum, et numquam emanasset, nec quemquam illo se juvare posse decernimus, et mandamus. Ac insuper quamcumque communitatis, et magistratus, nec non dictarum confraternitatum interpellationem forte faciendam, multoque magis eorum consensum etiam per praesentes supplemus. Porro ipsius Cajetani testamentariam dispositionem illius bonorum, quae ad tres enunciatos census, dictaque loca montium, ut praefertur, sunt redacta motu Nostro simili auctoritatis Nostrae vi iterum commutantes, et variantes illum ad effectum infrascriptum, et non alias exequi volumus, praecipimus, et mandamus ad ea modo, quae donatio haec praesefert animum Nostrum convertentes, donationem eamdem citra expectationem Nostram, et ultro emissam recipimus, ratamque, et gratam habentes acceptamus, et probamus, omnesque, et singulos juris et facti defectus siquos forte in illius instrumenti stipulatione occurrisse compertum foret authoritate Nostra supplemus. Et ad consulendum pariter aliorum ipsius Petri bonorum quorumcumque indemnitati, si ipse absque nova illorum dispositione decederet, ita ut illa in peractae donationis causam essent cessura, sententiam propterea a magistro Carolo Andrea praefato latam, et pronunciatam, hanc etiam per praesentes confirmamus, et approbamus, ita ut adversus illam quodcumque appellationis beneficium nequeat impertiri.

Erectio praebendarum canonicalium.

§. 9. Jamvero in eodem templo in honorem sancti Andreae Apostoli dicato quod noviter constructum pervetus tam servat ipsius collegiatae ecclesiae dignitatem divini cultus augmento, et ampliori sacrae psalmodiae recitationi consulere exoptantes, alios octo canonicatus, et praebendas, nec non quatuor beneficia, seu mensionarias pro totidem presbyteris, seu clericis ut infra qualificatis, et infrascriptis etiam obligationibus, et oneribus obnoxiis, qui una cum archidiacono principali, aliisque duabus dignitatibus, caeterisque canonicis capitulum dictae collegiatae constituant, eidemque personaliter inserviant, debitisque temporibus una cum aliis horas canonicas, nec non conventualem missam, et alia divina officia collegialiter cum aliis, servataque ecclesiastica disciplina celebrare, et canendo psallere, ac respective recitare, ac alias eidem collegiatae ecclesiae praeter onera specialia eis, ut infra, praescribenda deservire debeant, et teneantur ex nunc prout ex tunc, et cum primum per decessum dicti Petri ususfructus bonorum dicti Cajetani cessaverit, et donatio ab eodem Petro emissa suum sortita fuerit effectum apostolica auctoritate Nostra etiam praesentium vigore perpetuo erigimus, et instituimus.

Novis canonicis insignia habitus, et alia privilegia conceduntur.

§. 10. Eiisdemque futuris, et pro tempore existentibus canonicis, et beneficiatis seu mensionariis similia habitus insignia, ac omnia, et singula tam spiritualia quam temporalia privilegia, immunitates, et exemptiones, praeeminentias quoque et praerogativas, indulta, favores, et gratias, quibus capitulum, et canonici illius ecclesiae de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias, non tamen titulo oneroso utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possent quomodolibet in futurum similiter, ac pariformiter, et aeque principaliter, et absque ulla prorsus differentia proinde ac si canonicatibus, et beneficiis, seu mansionariis per praesentes erectis, illorumque possessoribus specialiter et expresse concessa fuissent eadem auctoritate pariter perpetuo concedimus, et indulgemus.

Jus nominandi canonicos abbati pro tempore conceditur.

§. 11. Illisque sic erectis, et institutis eorum collationem, provisionem, et omnimodam dispositionem Nobis quousque Sublacensem abbatiam retinebimus, reservamus; deinde vero ad abbatem pro tempore existentem commendatarium ordinario, plenoque jure spectare, et pertinere declaramus, et quatenus opus esset illi perpetuis futuris temporibus tribuimus, et impertimur.

Jus passivum clericis de familia Caroni conceditur.

§. 12. Cum hoc tamen quod ad canonicatus, et beneficia hujusmodi presbyteri, seu clerici e familiis Caroni de Civitella, et Vetromli de Rojate preferri debeant, et in illorum defectum Sublacenses, vel si Sublacenses deessent alii presbyteri seu clerici e locis, quae abbatiae jurisdictioni subsunt.

Constitutio mensae capitularis.

§. 13. Ad eorum autem particularem mensam efficiendam, et in illius dotem census, et loca montium ex haereditate Cajetani provenientia, illorumque fructus

qui minime detracto onere vigentium adhuc legatorum ad vitam relictorum ad annua scuta quatuorcentum nonaginta septem, et obulos quatuordecim, ut accepimus, ascendunt. Pariterque alios census, et investimenta ab ipso Petro donata, illorumque fructus ad tercentum, et triginta novem scuta, et obulos quinquaginta monetae Romanae etiam, ut accepimus ascendentes. Et quatenus ab ipso aliter dispositum non foret alia quoque bona omnia immobilia, et mobilia ubique existentia, quae donatio ipsa illius instrumento complectitur octo canonicatibus, et praebendis, ac quatuor beneficiis, seu mansionariis a Nobis, ut praefertur, erectis ex nunc prout ex tunc, et in eventum praemissum, ita quod sequuto dicti Petri decessu, liceat executoribus ab eo, ut praefertur, designatis eorumdem censuum, et locorum montium, atque investimentorum, et in effectum praemissum etiam dictorum bonorum veram, realem, et actualem possessionem nomine tamen mensae futuri coetus octo canonicorum, et quatuor beneficiatorum, seu mansionariorum propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam praemisso legali inventario futuris octo canonicis formaliter tradere, et in eos transferre Nostra apostolica auctoritate etiam perpetuo ipsarum vigore praesentium applicamus et appropriamus.

Mensae secundae erectionis nuncupandae administratio ipsis novis octo canonicis conceditur.

§. 14. Cum autem ex hisce particularis mensa secundae erectionis denominanda sit constituenda, illius administratio futuris octo canonicis erit committenda, sed executores ipsi ante expletum eorum munus una cum dilecto filio vicario Nostro in spiritualibus generali opportunas statuant ordinationes pro illius fideli administratione, et ex illis annis singulis unus eligatur camerarius, qui anno quolibet rationem dati, et accepti caeteris canonicis reddere teneatur. Quo vero ad fructuum assignationes in primis quatuor futuris beneficiatis, seu mansionariis scuta triginta sex ejusdem monetae unica, seu pluribus in ratis illorum singulis anno quolibet solvenda erunt, quae quidem summa sicuti ex eventu praemisso non erit augenda, ita nulli imminutioni subjecta censeatur. Praeterea postquam cessantibus enunciatis vitalitiis legatis distributioni subsidiorum dotalium locus factus fuerit, his adimpletis, omnes fructus, redditus, et proventus aequaliter inter ipsos futuros, et pro tempore existentes canonicos dividantur, et ad eos spectent, et pertineant, sed inter ordinationes demandatas ipsi vicario Nostro integrum erit praescribere an juxta laudabilem illius collegiatae ecclesiae consuetudinem aliqua, et quae fructuum pars ut canonici divini satagant servitii, et ad illud promptiores sint in quotidianas distributiones sit convertenda.

Onera implenda a canonicis

§. 15. Posteaquam futurorum canonicorum, et beneficiatorum, seu mansionariorum substentationi satis consultum fuit, modo superest, ut quaedam particularia onera in donationis instrumento enumerata ipsius Petri voluntati Nos obsecundantes apprime servanda, et adimplenda mandamus. Ipsi etenim canonici, et beneficiati, seu mansionarii ad chorum, ut praefertur in functionibus omnibus, quae ab aliis canonicis adimplentur fideliter accedere debeant. Item easdem servabunt constitutiones, quae integro capitulo, et canonicis jam sunt praescriptae. Particularia deinde canonicorum, et beneficiatorum, seu mansionariorum onera erunt quoad canonicos videlicet in perpetuum celebrandi, seu celebrari faciendi quolibet mense missas quatuor lectas, easque applicandi pro defunctis omnibus utriusque familiae Caroni, et Vetromili, atque una cum beneficiatis solemne anniversarium in die, quo ipse Petrus viam universae carnis ingredietur. Insuper in futuros canonicos tantum translatum sit, iisque in posterum onus adimplendi illi obligationi, cui ab ordinata erectione operis pii Caroni juxta Cajetani dispositionem testamentariam confraternitas sanctissimi Sacramenti teneretur, celebrandi nimirum unum anniversarium, et alias missas lectas, a cujus anniversarii assistentia beneficiati, seu mansionarii non erunt exempti. Caeterum ipsi singuli praeter commune ecclesiae servitium perpetuis futuris temporibus ad celebrationem duarum missarum lectarum quolibet mense tantum teneantur. Praescriptis hujusce non exigui numeri sacrorum ministrorum, qui in divinis famulaturi erunt muneribus, paris curae est dotalium subsidiorum assignatio. Cessantibus itaque vitalitiis adhuc vigentibus legatis, ac Cajetano relictis, qui ut praefertur, summam centum, et viginti scutorum constituunt, tunc juxta ratam illorum cassationis tot usque ad numerum decem subsidia dotalia Sublacensibus puellis honestis, et pauperibus ad rationem scutorum decem pro quolibet subsidio annis singulis juxta methodum in donationis instrumento praescriptam impertiri debebunt, reliquis scutis viginti in mensae hujus novae erectionis utilitatem cessuris.

Jus nominandi primos canonicos ipsi Petro Caroni conceditur.

§. 16. Denique ipsi Petro aliquam animi Nostri significationem ostendere volentes, eidem concedimus, et indulgemus, ut ipse per schedulam ab eo subscriptam, et obsignatam dicto Gregorio archiepiscopo tradendam personas nominare valeat, quae primum post sui decessum canonicatus, ac beneficia hujusmodi sint assecuturae, et quatenus illam minime expleret, vel aliquis nominatus assecutionis tempore defunctus esset, eo casu idem Gregorius archiepiscopus alium nominare valeat, illisque in prima hac erectione sic nominatis a Nostra abbatiali curia institutio, et possessio tradi debeat.

Omne remedium juris sub movetur quod retardare posset executionem praesentium literarum apostolicarum.

§. 17. Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quicumque in praemissis quomodolibet interesse habentes, vel habere praetendentes, ac magistratus Sublacensis, et confraternitas praedicta ad id vocati, et denuo auditi non fuerint, nec causae propter quas eaedem praesentes emanarint satis adductae, et verificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari, vel quomodolibet retractari, suspendi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus posse, neque licere, ipsasque omnino sub quibusvis contrariis dispositionibus, et derogationibus, vel declarationibus etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus quibusvis ex causis concessis, et impertitis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, et fore, et perpetuo validas, firmas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac omnibus ad quos spectat, et spectabit in futurum perpetuo, et inviolabiliter observari, ac futuris pro tempore existentibus octo canonicis et quatuor beneficiatis, seu mansionariis, nec non puellis, ut praefertur, eligendis perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque, et illas super praemissis omnibus, et singulis a quolibet etiam specialiter forte exprimendo quavis auctoritate quomodolibet molestari, vel impediri, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in eisdem praesentibus literis narratorum nullatenus teneri, nec ad id in judicio vel extra illud, vel compelli posse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 18. Sicque in praemissis omnibus, et singulis a quibuscumque judicibus ordinariis, vel delegatis etiam causarum palatii apostolici auditoribus, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari harum pariter vigore decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 19. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, et quibusvis Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum constitutionibus, et ordinationibus, nec non capituli, et canonicorum dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eisdem concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus expressa, specifica, et individua mentio habenda foret praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum validitatis, et executionem praemissorum omnium, et singulorum hac vice dumtaxat harum serie specialiter, et expresse praesentium literarum etiam vigore derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae revocationis, praecepti, mandati, confirmationis, approbationis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, concessionis, indulti, et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, tertio nonas septembris, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Dat. die 21 novembris 1792 anno XVIII.

## CMXVIII.

Publicatio providentiarum susceptarum in subsidium exulum regni Galliarum.

Venerabilibus fratribus, archiepiscopis, et episcopis, ac dilectis filiis, abbatibus, abbatissis, capitulis, et clero tam saeculari, quam regulari Germaniae.

Pius PP. VI.

Venerabiles fratres, ac dilecti filii Salutem, et apostolicam benedictionem.

Laudatur charitas eorum qui jam receperant exules fidei confessores.

§. 1. Ignotae nemini sunt, nec sine lacrymis commemorari causae possunt, propter quas archiepiscopi, episcopi, parochi, sacerdotes, clerici, sacrae virgines, et plurimi ex regularibus regni Galliarum, illustrioribus editis suae religionis argumentis, coacti sunt suas derelinquere sedes, domicilia, ac bona, diversasque petere cum catholicas, tum acatholicas regiones, in quas facilius potuerunt confugere, ea apud exteros subsidia postulantes, quae a suis obtinere nequirent. Haec inclyti cleri in varias partes dispersio non potuit sane animos omnes non commovere: Nosque certe maxima laude cumulare debemus non solum principes, pastores, et populos catholicos, qui per evangelium edocti, et verae charitatis spiritu inflammati hos benigne exceperunt fidei confessores, eosque impensa sua alendos sumpserunt; sed principes etiam, et populos acatholicos, et in his praesertim magnae Britanniae regem illustrem, et inclytam illius regni nationem, qui omnes erga sui similes, ducti quodam spiritu humanitatis, ut ait sanctus Ambrosius (1), iisdem subsidia suppeditarunt, aemulantes gloriam antiquorum Romanorum, apud quos videbatur „ valde decorum, patere domos hominum illustrium hospitibus illustribus; idque etiam reipublicae esse ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere „ (2).

Sese opem ferendi exulibus promptus exhibet pontifex.

§. 2. Ad Nos quod pertinet, qui licet immerito pastoris universalis, et patris omnium fidelium munus gerimus, majori, quam caeteros, onere obstrictos esse putavimus, promptam ferendi opem exulibus hisce infelicibus, qui in Nostrum sinum se conjecerunt. Persuasum enim Nobis satis superque est, nusquam justius, nunquam posse liberalius erogari subsidia, quam in eos, qui propter causam Christi rerum suarum dispendia pertulerunt, quique de sedibus suis contumeliose, et violenter ejecti peragrant regiones, atque inter ignotos vitam quasi solitariam degere compelluntur. Hinc a primo tam dirae hujusce insectationis initio patefecimus Gallis, sive ecclesiasticis, sive laicis, viscera pietatis, ipsosque cum omni beneficentia, et gratia complexi sumus.

Idem factum est ab episcopis ditionis pontificiae.

§. 3. Sperabant profecto hi exules aerumnosi, se vitam ducturos, si minus commodam, at curis plane vacuam, atque tranquillam in iis, ad quae appulerant, locis: sed inopinati Gallicarum copiarum progressus in Sabaudiam praesertim, et in civitatem, comitatumque Niciensem, eosdem ad novam, magisque lamentabilem fugam capessendam compulerunt. Nos equidem in iisdem charitatis sensibus, et in eadem voluntate defixi, inter ipsas rerum angustias, in quibus versamur, mandavimus, atque praecepimus, ut novi hujusmodi exules exciperentur, atque alerentur non in Nostra hac urbe dumtaxat, sed in provinciis etiam Nostrae ditionis: et hanc ipsam ob causam encyclicis literis die 10. mensis octobris proxime elapsi excitandos curavimus venerabiles fratres archiepiscopos, et episcopos ditionis Pontificiae, ut eorum singuli una cum suo clero, et cum locis piis suae dioecesis participes essent operum misericordiae, Nostrisque paternis curis obsecundarent. Ex quo factum est, ut non modo memoratis venerabilibus fratribus, et utroque clero saeculari, ac regulari, sed multis etiam cujusvis generis laicis certatim, et summa cum laude Nostrum exemplum imitantibus, adeo sit auctus novorum hospitum numerus, qui post Sabaudiam, et Niciam occupatam excepti a Nobis sunt, ut ad bismille hactenus excreverint.

Postulatur pro eis auxilium etiam praesulum Germanicorum.

§. 4. Scimus, complures alios ecclesiasticos viros regni Galliarum, favente carissimo in Christo filio Nostro Francisco in Romanorum imperatorum electo, in Germaniam perrexisse, ubi minime necessariae essent hortationes Nostrae ad auxilium, et opem erga hos exules comparandam. Haud enim Nos latet, venerabiles fratres, ac dilecti filii, vos pietate et charitate longe antecellere vetustissimam majorum vestrorum gloriam, quos memoriae proditum est „ erga hospites mites, et humanes fuisse: peregrinis enim „ omnibus hospitium ultro offerebant,

(1) *De offic. i. 21.*
(2) *Cicer. de offic. ii.*

„ hospitalitatisque inter se officiis certa-
„ bant „ (1).

Idem ut supra §. 5. Verum sicuti quidam spectabiles Nostri confratres, scilicet archiepiscopus Parisiensis, et episcopi Convenarum, Nemausensis, Macloviensis, Trecensis, et Lingonensis, literis ad Nos datis die 1. hujus mensis, debita laude prosequentes eum charitatis ardorem, quo tam ipsi in civitate Constantiae, quam alii Galli ecclesiastici viri in duabus abbatiis eidem civitati proximis, Petershausensi, et Oreutzlingensi fuerunt excepti, petierunt a Nobis, ut Nostra adhiberemus officia apud ecclesiae Germanicae praesules, pontifices, abbates, et capitula, ipsisque extorres Gallicanos sacerdotes, pro apostolica fide, et pro catholica unitate tanta perpessos, commendaremus; ita Nos justas ipsorum preces suscipere volentes, libenti animo Nostras hasce literas ad vos mittimus, magis ut ea laudibus prosequamur, quae per vos ipsos agi coepta sunt, quam ut vobis etiam atque etiam commendemus hos dignos Christi athletas; quos et causa, quam strenue defenderunt, et eorum praeclara merita satis superque per se ipsa commendant.

Idem ut supra §. 6. Hae itaque Nostrae literae testatum vobis facient, quanta consolatione leniamur inter graviores ipsas angustias, quibus undique premimur, propter indubiam spem, quam intimo fovemus animo, fore, ut vobis, venerabiles fratres, archiepiscopi, et episcopi, vestris semper obversetur oculis aurea illa sententia sancti Pauli „ Oportet episcopum esse hospitalem „ (2); quam quidem sententiam tum sancti patres, tum concilia ipsa collaudant. „ Episcopi namque domus, ut
„ beatus Hieronymus scribit, omnium
„ commune debet esse hospitium; et lai-
„ cus si unum, aut duos, aut paucos
„ recipiat, implet hospitalitatis officium:
„ episcopus, nisi omnes receperit, inhu-
„ manus ab eo scribitur „ verba sunt concilii Parisiensis VI. (3). Nec minus indubia spe ducimur, fore, ut vos quoque, dilecti filii, abbates, et abbatissae, ea semper animo repetatis, et opere praestetis, quae monachos docuit sanctus Benedictus, ut scilicet abbas quotidie habeat hospites in sua mensa, abbatissae autem, juxta synodum Aquisgranensem (1), prope portam monasterii. Vos denique, capitula, et cujusvis generis ecclesiastici viri inclytae ecclesiae Germanicae, certo confidimus, fore, ut gloriae vestrae esse arbitremini, si datum vobis erit ea hortamenta adimplere, quibus sacrosancta Tridentina synodus „ admonet quoscum-
„ que ecclesiastica beneficia saecularia,
„ seu regularia obtinentes, ut hospitali-
„ tatis officium, a sanctis patribus fre-
„ quenter commendatum, quantum per
„ eorum proventus licebit, prompte be-
„ nigneque exercere assuescant; memo-
„ res eos, qui hospitalitatem amant, Chri-
„ stum in hospitibus recipere „ (2). Quemadmodum vero eadem Tridentina synodus episcopis committendum curavit onus charitatis hujusmodi (3), ita minime dubitamus, quin vos, venerabiles fratres, non exemplis modo, sed verbis etiam, et hortationibus vestris comparanda curetis infelicibus hisce Gallis presbyteris, quae comparari per vos poterunt, majora subsidia, donec adspiraverit dies consolationis, et tempus pacis ad Nos descenderit; veluti dixit Alexander III. praedecessor Noster, dum ecclesiasticos quosdam viros commendabat, quos fidei osores crudeliter insectabantur (4).

§. 7. Plurima quidem sunt emolumenta, quae Deus optimus maximus pollicitus est, quaeque semper contulit iis, qui hospitalitatis laude floruerunt: Nosque certe futurum confidimus, ut hoc pietatis opus, cum publicis precibus simul conjunctum, debeat maturius eam consolationem, et pacem Nobis afferre, quam tantopere exoptamus; dum interim vobis, venerabiles fratres, dilectique filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctum Petrum die vicesima prima novembris MDCCXCII. pontificatus Nostri anno decimo octavo. Conclusio.

(1) *Diodor. lib. v., post Tacit. de morib. Germanor., et Mela lib. iii.*

(2) *Epist. ad Titum cap. i. vers. 7. 8., et ad Roman. c. xii. v. 13.*

(3) *An. 829. lib. i. cap. 14. apud Labbeum collect. Concil. recentis. edit. A. Zattae tom. xiv. col. 548.*

(1) *An. 816. lib. ii. cap. 28. apud Labbeum cit. tom. xiv. col. 276.*

(2) *Sess. 25. de reform. cap. 8.*

(3) *Loc. cit., et sess. de ref. cap. 22.*

(4) *Baron. ad an. 1164. num. 41.*

Dat. die 24 novembris 1792 anno XVIII.

## CMXIX.

Publicatio jubilaei in dioecesibus ditionis pontificiae.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et vicariis capitularibus quinque provinciarum status Nostri ecclesiastici, et ducatuum Urbini, et Ferrariensis, nec non et legationis Bononiensis.

Pius PP. VI.

Venerabiles fraters
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio cur jubilaeum publicatur.

§. 1. Quae causa Nos induxerat die 8 junii 1790., ut ad vos, venerabiles fratres, daremus literas, e quibus intelligeretis, post reseratos pro hac alma urbe Nostra a die pentecostes per totam ejus solemnitatis octavam Ecclesiae thesauros; aperiri eosdem etiam pro dioecesibus vestris, quae in pontificia ditione existunt; eam ipsam causam adhuc non solum permanere, sed graviorem in dies evadere, facile potestis ex ipsa ubique diffusa rerum fama cognoscere. Impii illi homines, de quorum licentia, furore, ac in sanctissimam religionem odio tunc agebamus, multo acriores nunc sumunt spiritus: in Ecclesiam, in apostolicam Sedem, ditionemque Nostram suae faces ferociae, et credulitatis intentare dicuntur. Nos idcirco videntes, quibus minis subjiciamur, multo flagrantioribus apud Deum instare precibus decrevimus: „ Respexit enim Deus „ in orationem hominum, et non spre„ vit preces eorum (1): petite, dixit, et „ accipietis, ut gaudium vestrum sit ple„ num (2). Primum igitur proxime elapso augusto mense publice fundendas in hac ipsa urbe obsecrationes indiximus, ut sanctissimae praesertim virginis Mariae Dei genitricis, ac beati Petri apostolorum principis interventu, divinam in Nos converteremus clementiam, quae inimicorum conatus omnes ab Ecclesia sua, fidelibusque populis prorsus averteret; cum recordaremur miserationum ejus, qui per Moysis orationem Israeli victoriam tribuit de Amelec, scidit etiam maria, ut praereunti populo viam praeberent, per Judith Betuliam ab obsidione, per Esther populum Dei ab interitu liberavit. Sed ne tum quidem exauditi fuimus; instant enim hostiles minae, et majora quotidie discrimina. Non idcirco tamen despondendus animus, immo tanto magis orandum in humilitate, et cordis contritione, instar publicani, qui ne oculos quidem in coelum audebat attollere; urgendum, perseverandumque Nobis est in fletu, in suspiriis, in lacrymis, in poenitentia, pulsandaeque sine intermissione misericordiae fores, quo tandem Dei ira peccatis nostris concitata, convertantur ad commiserationem, ad pietatem, et consolationem nostram. Vellet enim Deus castigationes non inferre, cupit vim sibi fieri ab amicis, quaerit aliquem, a quo prohibea ur, cumque neminem invenit, dolore conficitur: „ Quaesivi de eis virum, qui interpo„ neret sepem, et staret oppositus contra „ me pro terra, ne dissiparem eam, et „ non inveni (1). Ac propterea quos videt „ nolle proprio voto corrigi, adversita„ tum tangit stimulis (2). Itaque eo placandi Dei consilio pro sanctorum omnium solemnitate novas absecrationes, supplicationesque, patefactis plurimis in urbe templis, fieri voluimus per integram octavam peragendas, ipsasque tribulationes ad malorum remedia adhibere, dicente regio propheta „ Ad Dominum cum tribularer, „ clamavi, et exaudivit me (3); „ atque ita per tribulationes maxime proficere, cum per eas divina Nos ad se evocet misericordia, cum illae virtutes alant, et roborent, incompositos affectus coerceant, innocentiam tueantur, sancta inspirent desideria, et in oculis Dei Nos jucundos efficiant. Quae omnia paucis comprehendit Isaias, cum diceret: „ Domine in an„ gustia requisierunt te (4); „ veluti puer quam fortius matri adhaeret suae, quam cum se videt in labendi periculo, nunquam cujus maternus amplectitur sinum, quam cum aliquid timorem sibi incijcere percipit. Probatur praeterea per tribulationes tanquam per ignem virtus, multoque majori refulget lumine, ut in Abraham, qui per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est (5).

---

(1) *Psal.* 101. *ver.* 18.
(2) *Joann.* 16. *vers.* 24.

(1) *Ezech.* 22. *vers.* 30.
(2) *S. Isidor, Hispalens. lib.* 3. *sententiar. cap.* 3. *num.* 2.
(3) *Psal.* 119. *vers.* 1.
(4) *Isaias* 26. *vers.* 16.
(5) *Judit.* 8. *vers.* 23.

Preces Deo effundendae tempore jubilaei.

§. 2. Praecipue vero est orationibus insistendum jam appropinquante natalis Domini adventu; quod est propitiationis tempus, quod „ animabus non corporibus „ est assignatum „ ut monet s. Bernardus (1), adjungens insuper: „ diligenter „ pensate rationem adventus hujus, quaerentes nimirum, quis sit, qui veniat, „ unde, quo, ad quid, quando, et qua... „ Neque enim tam devota ecclesia universa praesentem celebraret adventum, „ nisi lateret in eo magnum aliquod sacramentum (2). „

Patrocinium beatae Mariae virginis, et sanctorum interpositum.

§. 3. Sequestros, et caelestis gratiae conciliatores Nos assumpsimus post potentissimam Dei matrem, ipsum, quem memoravimus beatum Petrum, Romanae, universaeque Ecclesiae fundamentum, ac sanctum Pium V. praedecessorem Nostrum, qui quantum ad conterendos Ecclesiae hostes orando, agendoque apud Deum profecisset, cum prae oculis haberemus, ejusdem Nobis patrocinium implorare maxime in pari causa opportunum duxeramus. Ille quidem et precibus, et armis hostiles impetus impetratis a Deo victoriis propulsabat. Eum ipsum Nobis et orandum, et imitandum proposuimus, ac ad iteratas, neque intermittendas preces arma etiam adjungimus. Cogimus militares copias, quibus maritimas munimus oras, neque ulli parcimus operae, ac sumptui, quo commissos a Deo potestati Nostrae, ac tutelae populos salvos, incolumesque, quoad possumus, tueamur, non jam alios oppugnando, sed res, vitas, fidemque nostram defendendo, atque omnem ab hac ipsa religionis Sede perfidiam arcendo, ac repellendo. Sed quid ullae valere vires Nostrae, quid efficere poterunt, etiamsi numero, ac virtute praestarent, nisi exercituum Deus suo Nobis adsit praesidio, quo certe praesente, et opitulante nunquam virium Nostrarum paucitati contra quamlibet hostium multitudinem diffidemus, ipso in hac spe Nobis praeeunte sancto Pio V., qui in suis brevibus literis jubilaeum indicentibus die 9. martii 1566. „ etsi, inquit, vires hostium maximae „ sunt, tamen major est, qui in Nobis „ est, quam qui contra nos, potensque „ est Dominus tam in paucis salvare, „ quam in multis „ In illius scilicet manu venti, tempestatesque sunt, ille moderatur omnes bellorum opportunitates, minimisque momentis maximas inclinationes efficit; ille tela pro sua voluntate vel dirigit, vel avertit. Reficiat vos judicium sancti Bernardi (1) scribentis „ Si bona fuerit causa pugnantis, pugnae exitus malus esse non poterit, sicut ne bonus judicabitur finis, ubi causa non bona, et „ intentio non recta praecesserit. „ Et quonam modo timere de bono exitu poterunt illi, qui omni conatu pro Jesu Christi doctrina, pro religione, pro ipsius causa sustinenda pugnabunt? Redeundum igitur semper ad obsecrationes, in iisque bellum Nostrum constituendum, ac talibus praecipue armis gerendum est. Idcirco ne ab hujusmodi pernecessariis hoc tempore precationum officiis distrahi, aut averti possint animi, occludi jussimus, et pro reliqua hujus anni parte, et pro toto insequenti anno theatra in hac urbe omnia, caeteraque profanae hilaritatis spectacula praesertim bacchanaliorum prohibuimus. Sed ut certius, ac efficacius ad exaudiendos clamores Nostros misericordiarum patrem inclinemus, vos ipsos, venerabiles fratres, vestraeque fidei concreditos populos, ad luctus, votorumque Nostrorum societatem evocamus; neque enim extranei a Nobis estis, sed eodem Nobiscum spiritu, ac eadem etiam temporalium rerum sorte ita conjuncti, ut nihil vel laetum, vel triste, calamitosumque Nobis accidere possit, quod in vos, dioecesesque vestras non redundet. Itaque cum haec eadem in vos procella, tamquam in eadem navi constitutos ingruat, supplices etiam voces vestrae cum manibus ad coelum attollendae Nobiscum sunt, ut nubes penetrare, ac ad divinae majestatis solium pervenire, sistique valeant, ac inde subventuram Nobis, apostolicae Sedi, catholicae Ecclesiae elicere, ac impetrare clementiam. Ideo beatissimae virginis Mariae patrocinio, quae est via, per quam Salvator advenit, sanctorumque omnium, ac praesertim beati Petri apostoli, ac sancti Pii V., quos hoc tempore potissimum invocandos statuimus, intercessione confisi, rursus pro vobis, vestrisque plebibus Ecclesiae thesauros recludimus, ac plenarias in forma jubilaei concedimus peccatorum indulgentias omnibus iis vestrarum dioecesium, qui opera, quae hic subjiciemus, praestabunt,

(1) *S. Bernard. serm. 6. de adventu Domini.*

(2) *Idem serm. 2. de eod.*

(1) *Ad milit. templi cap. 1.*

quae gravissimis horum temporum necessitatibus visa sunt convenire, consecuto nimirum apud Nos ex iis plurimo, ac singulariter commendando hujus populi Nostri fervore. Neque enim praeterire silentio possumus, quantopere commoti fuerimus, cum redundare multitudinis concursu templa videremus, cum frequentissima sacramentorum fieret perceptio, cum viae pene omnes conspicerentur supplicationibus refertae non jam imperatis a Nobis, sed sponte susceptis, capitulorum, religiosorum ordinum, collegiorum, congregationum, communitatum, conservatoriorum, praelatam crucem ordinatim, pieque sequentium, quae Nos partim audientes, partim Nostris etiam oculis subijcientes, continere lacrymas prae gaudio non potuimus, neque non in maximam excitari divinae opis fiduciam, tanto totius civitatis Nostrae in divinum cultum studio, tanta devotione, pietate, religione consequendae.

Quae sint praestanda pro assequendo jubilaeo declarantur.

§. 4. Quapropter per continuum duarum hebdomadarum spatium ab unoquoque vestrum praefigendum, designentur in sua cujusque dioecesi tot ecclesiae, quot concurrentis populi comodo satis esse poterunt, in iisque orationes adhibendae, quae praesertim ad poenitentiam contritumque cor, ac ad divinam impetrandam misericordiam referantur, adjunctis praeterea precibus ad consequendam sanctissimae Dei Matris, beati Petri, sancti Pii V., ac civitatis, seu loci patroni, vel patronorum principalium intercessionem. Atque ut fideles ardentiore animo tunc ad ecclesiam concurrant, iis omnibus, qui saltem tribus vicibus unam ex praefatis ecclesiis visitaverint, ibique ad Deum preces juxta mentem Nostram fuderint, et peccata sua confessi, ac sacra communione refecti fuerint in una ex iis designandis hebdomadis, et pauperibus aliquam eleemosynam pro sua cujusque pietate erogaverint, ac feria quarta, sexta, et sabbatho jejunaverint, plenariam in forma jubilaei peccatorum indulgentiam concedimus, et impertimur.

Declaratio circa moniales.

§. 5. Moniales vero, aliique in aliqua communitate degentes cum praescriptas a vobis recitaverint preces in loco, in quem ad orandum convenire solent, ceteraque praestiterint opera pro sua cujusque facultate, eamdem lucrari poterunt indulgentiam, ac si unam ex dictis ecclesiis ter visitaverint.

Similis pro detentis in carceribus.

§. 6. Id ipsum pariter intendimus de detentis in carceribus, ergastulis, arcibus, aliisque custodiis, eosque sacri hujusce thesauri ad suarum animarum profectum participes fieri volumus.

Similis pro infirmis.

§. 7. Similiter qui valetudine aliqua impediti fuerint, vel alia legitima causa, si easdem preces recitaverint, vel alia praestiterint opera, precibus ipsis, ad quarum recitationem impotes erunt, per commutationem arbitrio confessarii substituta, eadem potiri posse indulgentia concedimus.

Similis pro exercentibus pastoritiam artem.

§. 8. Demum ne hoc spirituali beneficio careant, qui pastoritiam artem exercent, cum ipsi nequeant a suorum gregum custodia, nisi breviter, ac divisis inter se vicibus discedere, eisdem etiam consulere volentes, permutamus ipsis designatas ecclesias in unius ecclesiae propinquioris visitationem, ab unoquoque semel faciendam, ut ita si sua peccata confessi, sanctissimae eucharistiae sacramentum devote susceperint, praemissam indulgentiam consequi valeant.

Applicatio indulgentiae per modum suffragii.

§. 9. Atque hae ipsae indulgentiae per modum suffragii applicari poterunt pro animabus in purgatorio existentibus.

Facultas eligendi confessarios absolventes etiam pro casibus alias reservatis.

§. 10. Ad quos effectus facilius consequendos fideles utriusque sexus, tam laici, quam ecclesiastici seculares, et regulares cujuscumque ordinis, congregationis, et instituti eligere sibi poterunt in confessarium quemcumque sacerdotem ex approbatis, tamen respective ad dictas personas, iisque confessariis amplam impertimur facultatem absolvendi pro una vice in foro conscientiae a quacumque sententia excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a sacris canonibus, et judicibus quavis occasione, et causa latis, seu inflictis; nec non et ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis, quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam locorum ordinariis, sive Nobis, et Sedi apostolicae per quascumque Nostras, aut Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum constitutiones, quarum tenores haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum absolvere, et liberare valeat; reservatis tamen, atque exceptis haereticis dogmatizantibus, et in delicto complicibus; itemque valeat vota quaecumque (religionis, et castitatis exceptis) in alia pia, et salutaria opera commutare; injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, aliisque pro ejusdem confessarii prudentia injungendis. Non intendimus autem per praesentes, sicuti praedecessorum Nostrorum nemo in publicatione jubilaei unquam intendit, super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, vel

inhabilitate quoquo modo contracta ex defectu dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam easdem praesentes iis, qui a Nobis, vel ab aliquo praelato, seu judice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti fuerint, nisi intra ejusdem jubilaei tempus satisfecerint, et cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Hortatio ad fideles.

§. 11. Ad praescripta opera, quae pro lucranda indulgentia fieri postulamus, adjungimus adhuc hortationem Nostram, ut unusquisque fidelium aliquid boni ex suae pietatis, ac virtutis arbitrio conferat. Et si in aliqua dioecesi religiosorum ordines, qui ibidem existant, canonicorum collegia, conservatoria etc. conjunctim singula procedent ad ecclesiam, prout hic Romae ad plurimam populi aedificationem factum esse cognovimus, ut per viam in eundo, redeundoque recitent litanias sanctorum, imploreutque patronorum opem non sine aliis precibus ad poenitentiam spectantibus, iisdem suggeretis; atque idcirco prius ipsis in memoriam revocari curabitis, quod sanctus Innocentius I. scripserat ad episcopos Aurelium, et Augustinum „ Nostris communibus, et alternis plus agimus orationibus, quam singularibus, aut privatis „.

Prohibentur per annum spectacula, et alia profanae hilaritatis signa.

§. 12. Illud postremo unicuique vestrum adjungere debemus, ut elapso jubilaei tempore, ne item elapsum esse precationum ad Deum tempus existimetur, proptereaque praecipuam in eo ponendam esse solicitudinem vestram ad populum in peculiari divino cultu, ac pietatis exercitatione diu, multumque retinendum. Idcirco ab ejusdem conspectu, ac etiam cogitatione per integrum proximum annum omnia removenda, Nostra auctoritate, sunt profanae hilaritatis spectacula, theatrorum nempe, ac baccanaliorum, quemadmodum jam hic Nos Romae faciendum praecepimus.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorum totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, et expresse ad effectum praemissorum derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 14. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae, munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur iisdem praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Demum apostolicam benedictionem fratenitatibus vestris peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima quarta novembris millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

---

## CMXIX.

Dat. die 4 decembris 1792 anno XVIII.

Instante collegio notariorum Bononiae confirmantur nonnulla capitula constitutionis Benedicti XIII. ac chirographum Benedicti XIV. eosdem notarios respicentia.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Quoties a Nobis petitur, ut circa ea, quae ad tollendas controversias, ac communem chistifidelium utilitatem, praesertim vero inter Nostros, et apostolicae Sedis in temporalibus subditos apposite, ac maturo consilio disposita fuisse noscuntur, apostolicam Nostram auctoritatem interponamus, quo inde certius suum sortiantur effectum omnino Nos decet petentium desideriis congruum impertiri suffragium, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Memorantur literae expeditae a Benedicto XIII. ad tollendos abusus irreptos in archivio Bononiae.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii collegium tabulariorum, seu notariorum civitatis Nostrae Bononiensis, quod alias felicis recordationis Benedictus pp. XIII. praedecessor Noster per suas in simili forma Brevis die 26. januarii 1729. expeditas literas constitutionem, quam ad tollendos multiplices abusus, qui in publicum ejusdem civitatis archivium irrepserant bonae memoriae Ferdinandus, dum vixit, Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis de Abdua nuncupatus dictae civitatis Bononiensis tunc apostolicae Sedis de latere legatus concinnaverat, ac ob plures controversias, quae ex inde pro parte dicti collegii exortae erant, deinde bonae memoriae Tho-

ma Sanctae Romanae Ecclesiae cardinali Ruffo nuncupato in eadem pariter civitate Bononiensi Sedis apostolicae praedictae de latere legato reformatam, moderatam, ac temperatam auctoritate sua apostolica in forma specifica confirmavit, et approbavit, prout in eisdem literis, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, inter caetera, quae in eadem constitutione statuuntur, expresse quoque praescribatur methodus, quae ab archivistis in exemplandis, et extrahendis exemplaribus vulgo copiis instrumentorum, et scripturarum in eodem archivio asservatorum servanda in posterum, et custodienda esset, prout in capitulis trigesimo primo, trigesimo secundo, trigesimo tertio, et trigesimo quarto memoratae constitutionis, tenoris scilicet, qui sequitur.

Inter caetera exponitur cautum per Benedictinam constitutionem fuisse quomodo ab archivio extrahi deberent exemplaria instrumentorum.

§. 3. XXXI. Respectu vero facultatis, et prohibitionis eorumdem archivistarum extrahendi copias documentorum archivio praesentatorum permittimus, quod ipsi archivistae possint exemplare quaecumque documenta, omnesque scripturas, quorum, et quarum respective originalia in archivio tantum asservantur, et nulli actus instrumentales, seu illorum rogitus apud notarios, vel successores remanent, et eorum, ac earum respective copias quandocumque tradere cuilibet petenti, prout etiam possint exemplare, et extradare quandocunque copias quarumlibet sententiarum et condemnationum criminalium, vel mixtarum tam exhibitarum, quam in futurum exhibendarum; comprehendentes quoque sub hac eorum facultate alios actus, tam inter vivos, quam ultimarum voluntatum, aliaque documenta cujusvis generis per quoscunque notarios mortuos rogata, et quorum instrumenta confecta fuerint usque ad annum millesimum sexagesimum quinquagesimum tertium inclusive quocunque tempore ante dictum annum illorum rogitus prodierint, et quorum non obstante, quod originalia penes eorundem notariorum successores existant, copias ab ipsius archivii ministris tradi, consuetudine receptum est, nulla de his successoribus praedictis communicata mercede.

Alia dispositio ejusdem constitutionis super eadem extractione exemplariorum.

§. 4. XXXII. Si vero aliquis notarius de quibuscumque instrumentis, etiam ultimarum voluntatum rogatus, vel in proprietate eorundem instrumentorum successor velint sua sponte consignare archivio matrices, sive prothocolla dictorum instrumentorum, ibidem perpetuo retinendorum debeant archivistae illa acceptare, et in hoc casu liceat ipsis archivistis eorundem instrumentorum copias exemplare, illasque tam simplices, et privatas, quam publicas et authenticas cuicunque petenti extradare, tradita tamen medietate mercedis dicto notario, vel successori consignanti, illorumque haeredibus infra octo dies, quae omnia pariter locum habeant etiam in rogitibus ex quacumque ultima voluntate eidem archivio relictis, nisi per defunctum, vel consignantes, ut supra expresse, sine hujusmodi mercedis onere relicti, vel traditi fuerint, pro quo effectu, et aliis infrascriptis teneantur dicti archivistae retinere particularem librum in quo per ipsos adnotentur mercedes perceptae ex dictis rogitibus consignatis, vel relictis, ut supra, detracta prius impensa pro exemplatione scripturarum, ex quibus mercedibus ad archivistas, ut supra spectantibus, ipsi teneantur quintam partem deducere, et illam statim reponere, et conservare in capsa particulari in eodem archivio retinenda, duplici clave munita, quarum una debeat perpetuo permanere penes illustrissimum dominum decanum assumptariae, eidem archivio pro tempore praepositae, altera vero penes decanum dictorum archivistarum, et quae pecuniae quolibet trimestri, quinimo ad placitum dictorum illustrissimorum dominorum archivo pro tempore praefectorum debeant e dicta capsa levari, et reportari in capsam depositarii camerae Bononiae, in creditum tamen ipsius assumptariae, nec ullo unquam tempore possint erogari in aliam causam, nisi in emptionem rogituum, et scripturarum, eidem archivio consignandarum, et in eo conservandarum, seu in aliud beneficium ejusdem archivii ad ipsius assumptariae pro tempore placitum; quod si dicti archivistae defecerint, vel in dicta consignatione medietatis mercedis, vel in dicta repositione quintae partis in capsa, poenam furti, et scutorum quinquaginta, ut infra applicandorum, aliasque arbitrio incurrant.

Alia similis ut supra.

§. 5. XXXIII. Coeterorum autem rogituum post dictum annum millesimum sexagesimum quinquagesimum tertium confectorum, quorum originalia penes notarios reperiuntur, indemnitati eorundem notariorum providentes, et in hac parte dispositioni tam juris communis, quam municipalis opportune inhaerentes, stricte prohibemus archivistis sub poena suspensionis ab officio archivii, ac ulterius refectionis cujuscumque damni notariis, vel illorum successoribus, ac etiam partibus illati, aliisque etiam gravioribus arbitrio Nostro, ac eminentissimorum pro tempore successorum, ne copias, sive authenticas, sive simplices, vel earum particu-

las cuicunque personae extradare valeant; si vero extradatae fuerint, nullius roboris, fidei, aut momenti sint; hujusmodi siquidem documentorum, instrumentorum, et quarumcunque scripturarum, quae inter notariorum rogitus, et penes notarios reperiuntur, copias extrahere, petentibusque tradere ad notarios ipsos, eorumque successores pertinere declaramus, et in his archivistis, ipsorumque ministris manus apponere non licere, nisi de expressa licentia ejusdem notarii viventis, vel ipsius haeredum, aut rogituum commissarii in scriptis tradita, atque diligenter asservata, de qua, in subscriptione per archivistas facienda, expressa fieri debeat mentio, vel nisi actuum hujusmodi a notariis, vel eorum successoribus deperdita instrumenta, aut documenta fuerint, vel notarii ipsi, aliique, ut supra, authenticas copias tradere negligerent.

Alia similis in casu deperditionis, aut negligentiae notariorum.

§. 6. XXXIV. In casu autem suppositae deperditionis, aut notariorum negligentiae, quicunque documentum aliquod, aut aliquam scripturam, vel deperditam, vel sibi a notario procrastinatam ab archivio extrhaere voluerit, correctorem collegii notariorum juxta vigentem praxim adire debeat, qui per acta cancellarii ejusdem collegii, citato, vel semel personaliter, vel bis domi dimissa copia, notario rogato, vel successore ad tradendam copiam instrumenti, vel alterius actus in citatione exprimendi, eoque infra tres dies, si moram fecerit in civitate, et infra sex, si extra civitatem, non comparente praecognita legitima citationis executione, vel quatenus compareat, et petitam capsam, soluta debita mercede, non tradat, vel tradere nequeat intra competentem terminum, permittere teneatur, desuper pro lato decreto, archivistis petitum actum etiam in authentica forma extrahere; et instanti consignare, nulla notario praedicto per archivistas communicata mercede, de quo decreto teneantur archivistae in subscriptione copiae expressam facere mentionem ut supra; decernentes etiam, quod si aliquis notarius tam civitatis, quam comitatus Bononiae se conferret ad habitandum extra eamdem civitatem, et comitatum, vel ab eis absens fuerit, nequeat modo aliquo secum ferre, vel aliter extra civitatem si notarius civitatis habitator fuerit, vel extra comitatum Bononiae, si notarius habitaverit in comitatu, transmittere prothocolla, nec matrices, tam dispositionum inter vivos, quam ultimarum voluntatum etiam secretarum, et tam per ipsum rogatarum, quam in commissione retentarum, etiamsi earum copiae archivio jam fuissent delatae, sed omnino teneatur nominare aliquem notarium in civitate Bononiae commorantem, cui sit data facultas, et commissio a Trapaea, nec non commoditas ab eodem notario abfuturo eosdem rogitus extradandi durante illius absentia, praevia tamen denunciatione talis notarii commissarii per ipsum notarium abfuturum eidem archivio fecienda, alias iisdem casibus, et unoquoque eorum, in quibus defecerit, archivistis talium rogituum copias extradare omnino liceat, et ulterius in casu asportationis scripturarum, et prothocollorum, ut supra vetitae, notarius incidat in poenam privationis officii, ac stiam falsi, aliasque arbitrio.

Cum methodus a praedicta constitutione indigitatus sit omni no servandus noviter apostolica auctoritate confirmatur.

§. 7. Quod nuper methodum hanc invertere teneatur, hinc ipsi exponentes, quo constitutionem praedictam, nec non praeinserta illius capitula firmius subsistant, et serventur exactius apostolicae Nostrae confirmationis denuo communiri summopere desiderant. Nos eorumdem exponentium votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, ac specialem eis gratiam facere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito prius dilecti filii Nostri Andreae Sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri cardinalis Archetti nuncupati in civitate Bononiensi praedicta Nostri, et Sedis apostolicae de latere legati consilio, cum post editam constitutionem praedictam etiam felicis recordationis Benedictus pp. XVI. praedecessor itidem Noster suum hisce desuper in forma motus proprii sub die vicesima secunda septembris millesimo septingentesimo quadragesimo tertio signaverit chirographum, propterea non solum memoratam constitutionem, ac omnia in ea contenta, et praesertim praeinserta quatuor illius capitula, sed etiam dictum Benedectinum chirographum, ac omnia in eo contenta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus. et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper in praemissis quomodolibet intervenerint seu intervenisse dici, censeri, vel praetendi possent supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus iis omnibus quae memoratus Benedictus XIII. praedecessor non obstare concessit, coeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris die quarta decembris, millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

---

Dat. die 10 decembris 1792 anno XVIII.

## CMXXI.

Declaratio, et prorogatio facultatum concessarum a Sanctissimo Domino Nostro.

### Pius PP. VI.

archiepiscopis, episcopis, ac dioecesium administratoribus regni Galliarum.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Perpensis circumstantiis regni Galliarum, quae deteriores fiunt, perpensaque fuga et absentia tam archiepiscoporum, episcoporum, vicariorum, aliorumque dioecesium administratorum, quam ecclesiasticorum singularum dioecesium, cum videat planeque cognoscat sanctissimus Dominus Noster irritum et inanem evasurum usum facultatum absolvendi ecclesiasticos juratos, et intrusos, concessarum jam dictis archiepiscopis, episcopis, et ecclesiarum Gallicanarum administratoribus duplici indulto diei 19. martii, et diei 13. junii hujusmet anni 1792., nisi aliqua moderatio adhibeatur legi priori indulto appositae de non adhibendis hujusmodi facultatibus „ extra fines suae „ dioecesis; neque in locis dominio regis „ christianissimi non subjectis „; in vim praesentis indulti tribuit, conceditque praedictis archiepiscopis, episcopis, et dioecesium administratoribus auctoritatem absolvendi aut per se ipsos, aut per alios ab ipsis delegandos, singulos ecclesiasticos dioecesanos juratos, sive intrusos, quamvis commorantes in alienis dioecesibus etiam ditioni christianissimi regis non subjectis. Vult autem Sanctitas sua, ut in absolutionibus concedendis serventur conditiones appositae in dictis indultis; praetereaque vult, ut delegatio fiat in unum ex confessoribus approbatis ab ordinario loci, in quo commorantur ii, qui poenitentia ducti absolutionem exposcunt. Quemadmodum vero facultas hujusmodi ecclesiasticos juratos, et intrusos una cum aliis facultatibus, quae dictis archiepiscopis, episcopis, et administratoribus per memorata et alia pontificia indulta ad annum concessae fuerunt, paulo serius, aut paulo ocyus finem sunt habiturae, ita eadem Sanctitas sua in vim praesentis indulti facultatem, de qua agitur, et alias etiam facultates prioribus indultis comprehensas concedit, et prorogat ad annum a die expirationis cujuslibet indulti respective incipiendum, si tamdiu horum temporum calamitas perduraverit. Datum ex aedibus Vaticanis die decima decembris millesimo septingentesimo nonagesimo secundo.

Dat. die 14 decembris 1792 anno XVIII.

## CMXXII.

Instante praeposito generali congregationis Piorum Operariorum communicantur eidem congregationi privilegia aliarum congregationum clericorum regularium.

### Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Inter multiplices tribulationes, quae in hisce difficillimis Ecclesiae temporibus invenerunt Nos nimis ad pastoralis officii ministerium humilitati Nostrae ex alto concrediti pertinere arbitramur, christifidelibus, qui Deo proprius famulari cupientes tamquam vigiles operarii in vinea Domini sudoribus, vigiliis, laboribusque parcere nesciunt, dummodo proximorum in catholica religione profectum obtineant, ea omnia concedere, quae ad magis magisque illorum confovendam pietatem pertinere dignoscuntur, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum porrectarum a praeposito generali.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Moscati modernus praepositus generalis congregationis presbyterorum saecularium Piorum Operariorum, quo alumni dictae suae congregationis ad exercenda omnia laboriosa opera ex instituto ipsius congregationis eis injuncta magis incitentur, privilegia, exemptiones, indulta, aliasque spirituales gratias omnibus, et singulis congregationibus, ac domibus clericorum regularium, et saecularium, et specialiter congregationi Puritatis civitatis Neapolitanae per Romanos pontifices, vel concessa, vel in posterum concedenda suae congregationi a Nobis communicari summopere desiderat.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos eumdem exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, omnia, et singula privilegia, indulta, indulgentias, peccatorum remissiones, facultates, et gratias spirituales omnibus, et singulis congregationibus clericorum seu regularium, seu saecularium, et signanter congregationi Puritatis civitatis Neapolitanae tam generaliter, quam specialiter, ac per viam communicationis etiam motu proprio, ex certa scientia, ac alias tam congregationibus praedictis, quam earum domibus etiam regularibus, nec non generalibus, aliisque superioribus, officialibus, ministris, et personis per Nos vel per quoscumque Romanos pontifices concessa, vel in posterum concedenda, quaeque specialem requirunt mentionem, ita ut illis praedicta congregatio presbyterorum saecularium Piorum Operariorum in posterum uti, frui, et gaudere possit, et valeat, perinde ac si specialiter, expresse, ac pariformiter, et aeque principaliter ei concessa fuissent eidem congregationi presbyterorum saecularium Piorum Operariorum auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non earumdem congregationum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicu-

jus notarii publici subsciptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum die decimaquarta decembris millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

---

Dat. die 18 decembris 1792 anno XVIII.

## CMXXIII.

Ut in posterum monachi monasterii Hondiscemensis in Lithuania congregationis Benedictino-Polonae carnibus vesci valeant in communi refectorio.

PP. Pius VI.

Ad futuram rei memoriam

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut dilectus filius Florianus Alphonsus Oranski abbas Horod nuncupatus ordinis sancti Benedicti congregationis Benedictino-Polonae Nobis nuper exponi fecit, in monasterio Hondiscemensi congregationis hujusmodi in Lithuania situ vetus observantia vigeat, de non comedendis videlicet carnibus in communi refectorio, verum extra portam monasterii; ob novam autem ejusdem monasterii constructionem desit ad praesens aptus locus extra illius portam, ubi abbas cum sua religiosa familia carnibus vesci possint; idem propterea exponens, quo conscientiae securitati, et commoditati monachorum monasterii hujusmodi consulatur plurimum cupiat in praemissis a Nobis provideri.

Concessionis tenor.

§. 2. Nos dictum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; eidem exponenti, ac modernis, et pro tempore existentibus abbati, et monachis monasterii Hondiscemensis hujusmodi, ut imposterum iis diebus, quibus ex regula, seu consuetudine carnibus extra dicti monasterii portam vesci debuerunt, iisdem carnibus in refectorio communi vesci libere et licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii praedicti, ejusque ordinis, et congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava decembris millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Dat. die 6 januarii 1793 anno XVIII.

## CMXXIV.

Confirmatio unionis magni prioratus de Crato hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani favore domus de infantato regnorum Portugalliae, et Algarbiorum, nec non concessio territorii separati cum opportuna ecclesiastica jurisdictione, et facultate regio infanti deputandi provisorem, et vicarium generalem ad archiepiscopatum Hadrianopolitanum in partibus promovendum, reservata eidem praevisori, et vicario generali annua pensione super fructibus dicti prioratus de Crato.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Quoniam ecclesiasticum, et spirituale Christifidelium populorum regimen, ut illi in christianae religionis preceptis informentur, sacrorumque canonum contineantur disciplina per regiones fuit distributum. Hac provida dispositione in cunctis orbis partibus illud personis sublimis dignitatis, et ampliori authoritate ab apostolica Romana Sede donatis jugiter fuit demandatum. Exploratum id precipue noscitur in florentissimis Portugalliae, et Algarbiorum regnis tam citra, quam ultra mare ubi benedicente Domino summa animi Nostri exultatione aucto etiam episcoporum numero fideles omnes depulso quovis errore fidei puritatem hauriunt, et divino cultui incumbentes christianae quoque charitatis opera assidue exercere pergunt. Id autem per eadem regna communiter vigens apostolicam Nostram excitat sollicitudinem, ut singulari quoque, et conspicuo jamdudum designato regimine persona ordine quam fieri potest decorata auctoritate Nostra constituatur, quod carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae pietas, et religio a Nobis enixis votis expostulamus.

Memorantur ea quae de prioratu disposita fuerunt in literis 24 novembris 1789.

§. 2. Quamvis enim Nos eadem Maria Francisca regina supplicante per Nostras apostolica literas in forma Brevis sub annulo piscatoris die xxiv. novembris MDCCLXXXIX., pontificatus Nostri anno XV. prioratum magnum nuncupatum ordinis hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani de Crato denominati, ad quem, ut accepimus, ab anno MDCXCV. ad hanc usque diem reges Portugalliae pro tempore existentes unum ex infantibus regiae suae familiae nominare consueverunt, ac novissime ipsa Maria Francisca regina dilectissimum filium Nostrum Joannem principem Brasiliae ejus natum nominavit, certis ex causis, et in ejusdem magni prioratus decorem illius omnimodam administrationem patrimonio, ac domui de infantato nuncupatae apostolica Nostra auctoritate in perpetuum univerimus, et incorporaverimus, ac unitum, et incorporatum esse, et fore statuerimus, atque declaraverimus. Ita ut idem Joannes princeps Brasiliae, et infans magnum prioratum hujusmodi obtineat usque dum domum, et statum de infantato administraverit, sicque deinceps, qui domum, et statum de infantato administrabit, sit pariter magnus prior absque ulla nova concessione, atque distincte ordinem domui aeque, ac magno prioratui futuris in casibus deinceps succedendi exposuerimus, et praescripserimus. Quapropter semper, et quandocumque ille, qui ad domum de infantato pervenerit, vel illius administrationem pro tempore obtinebit fructus quoque, redditus, et proventus dicti magni prioratus percipere, exigere, et levare, ac in suos usus, et utilitatem, vel alias juxta praescriptas conditiones convertere, omnibusque eidem prioratui adnexis juribus, praeeminentiis, et indultis, quibus priores magni prioratus praefati gaudent, et potiuntur quin ad ea, quae circa aetatem, professionis emissionem, aliaque requisita fratribus militibus, ac praeceptoribus, seu commendatariis ordinis praefati ab apostolica Sede sunt praescripta teneatur, et absque obligatione celibem vitam ducendi gaudere, et potiri, impertita etiam ei facultate unacum administratione hujusmodi praeceptorias, seu commendas, ac dignitates aliarum militiarum, seu ordinum equestrium assequendi, et retinendi, impositis tamen, et reservatis favore magni magistri primo dicti ordinis, ejusque communi aerario consuetis responsionibus, et solutionibus libere, et licite possit, et valeat, ac etiam respective debeat, et teneatur, prout illi concessimus, et indulsimus, atque in eisdem literis plenius continetur.

Exponitur plurima in memoratis literis fuisse praetermissa, quae statum, et jurisdictionem ejusdem prioratus respiciunt

§. 3. In illis tamen de ejusdem magni prioratus statu, jurisdictione scilicet, locis, ecclesiis, piisque locis, clero, personisque illi subjectis, juribusque magno priori competentibus nulla habita fuit ratio neque illa ad Nos delata fuere. Etenim sicut modo accepimus, fuit ille anno Domini MCCCXLVI. tunc existente Hierosolymitani ordinis magno magistro Elione de Villanova in loco de Crato erectus, et abinde citra perampla fuit ei-

que est in provinciis de Extremadura, et Beira ac partim in illa de Alentejo attributa ditio, itaut ad leucas quinquaginta sex per circuitum sit extensa, eique limitrophae sunt Colimbriensis, Aegitaniensis, Castri Albi, Elvensis, et Portugallensis ecclesiarum dioeceses. In ipsa quidem ditione quatuor supra decem numerantur populo refertae terrae Orato videlicet, Tollozza, Gaffette, Amiera, Gaviao, Belver, Cardigos, Envendos, Carvoeiro, Poenza nova, Certao, Olleiros, Alvaro, Predrogaepegueno denominatae, quae in triginta tribus circiter paraeciis sunt distributae, ac quatuor inibi sunt regularium caenobia; clerus autem saecularis per easdem terras divinis inserviens potius abundet, atque animarum numerum ditionem ipsam inhabitantium ad quadraginta circiter mille ascendere enunciatur. Praeter autem supra denominatas paraecias pariter alias ad illum spectare compertum, nimirum in dioecesi Portugallensi unam sancti Joannis Baptistae de Castro de Vide, et aliam sanctae Mariae, et aliam sancti Jacobi in loco de Marvao, et aliam sancti Martini, ac aliam etiam sancti Jacobi civitatis Portalegrensis, ac reliquam sanctae Clarae de Alcaravella Castri Albi dioecesis universa vero haec ditio tamquam primo dicti ordinis magno priori omnimode subjecta ab omni cujusvis episcopi jurisdictione exempta prorsus, et immunis atque particulare et separatum territorium semper in illis partibus, ut pariter accepimus, habita fuit, et ecclesiastica, et spiritualis ordinaria, et fere episcopalis jurisdictio ab uno presbytero e seculari clero provisore, et vicario generali denominato a magno priore delecto exerceri solet, ipse enim in clerum, et populum judicat, in causis ecclesiasticis, itemque ad excipiendas sacramentales confessiones presbyteros, et concionatores verbi Dei approbat, itemque literas dimissoriales pro collatione etiam sacrorum ordinum impertitur, ac demum omnia gerit, quae ordini episcopali non sunt reservata.

Confirmantur hactenus gesta a magno priore circa exercitium jurisdictionis praevia si opus fuerit sanatione irregularitatum.

§. 4. Quae cum ita sint quemadmodum praemissa jam a Nobis peracta magni prioratus dispositio illius in temporalibus futurum statum praesefert, ita congruum nimis, et opportunum fore in Domino censemus, ut nomine ipsius Mariae Franciscae reginae cum scientia et consensu ejusdem Joannis regii principis nova Nobis exposita vota, ac preces benigno animo excipiamus, et ecclesiasticae quoque, et spirituali jurisdictioni consulamus. Nos igitur jamdiu perspectum habentes ipsam Mariam Franciscam reginam paternas, avitasque virtutes haereditario velut jure sibi delatas unacum ecclesiastici decoris zelo, et erga Nos, apostolicamque Sedem obedientia adeo fovere, et aemulari, ut modo sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas, ita proprias dotes in regiam ejus sobolem transferre, et adiicere operam dare non desinit, illius votis, et supplicationibus aequo gratoque animo indulgentes, ac etiam motu Nostro proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine praemissas Nostras literas, earumque integrum tenorem praesentibus pro expressis habentes suprema auctoritate Nostra harum serie specialiter, et expresse confirmamus, et approbamus, et secundum illorum dispositionem de praesenti, et in futurum illas exequi mandamus. Antequam vero infrascripta a Nobis statuantur, ut quaslibet sequutas in exercitio ecclesiasticae, et spiritualis jurisdictionis dicti magni prioratus inordinationes, ac forte nullitates submotae sint, nec de caetero erui possint, ita ut in integro statu jurisdictio hactenus magno illi prioratui opportune attributae censeatur, omnes ideo, et singulos actus etiam juridicos, et publicos usque modo, ac pro tempore existente illius provisore, seu vicario generali gestos, decreta interposita, sententiasque pronunciatas, et publicatas. Quibus omnibus jurisdictionis defectus minime apponi queat praesentium etiam Nostrarum literarum vi, et auctoritate praemissa specialiter, et plenarie revalidamus, ac in validum statum restituimus, reponimus, et reintegramus.

Territorium magni prioratus nullius dioecesis declaratur.

§. 5. Porro magnum prioratum de Crato, ut praefertur, nuncupatum saepedicti ordinis hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, illiusque integrum territorium supradictum quinquaginta sex leucarum circiter per circuitum cum enunciatis terris, nec non ecclesiis etiam parochialibus, ac caenobiis inibi sitis, pariterque clerum omnem, personas, et populum, terras ipas et loca quaevis incolentes ab omni, et quacumque ecclesiastica, et spirituali finitimorum episcoporum superioritate, et jurisdictione penitus, et omnino auctoritate Nostra praemissa, ad infrascriptum tamen effectum, perpetuo dividimus, distinguimus, et separamus. Propterea que integrum ipsius prioratus territorium sit ad omnes juris effectus vere perpetuis futuris temporibus nullius dioecesis, ac prorsus separatum, Nobisque, et successoribus Nostris, Sedique apostolicae immediate subjectum, atque in illo ecclesiasticam, et spiritualem

jurisdictionem uti mox statuemus, et non alias, nec ab alio exerceri posse decernimus, ad quorum plenarium effectum omnem, quatenus opus sit, venerabilium fratrum Nostrorum Colimbriensis, Aegitaniensis, Castri Albi, Elvensis, et Portalegrensis episcoporum consensum auctoritate Nostra supplemus.

Excluduntur a nova dioecesi ecclesiae parochiales existentes extra territorium etsi subjectae reperiantur jurisdictioni magni prioratus.

§. 6. Quod autem de integro magni prioratus immediato territorio decernendum censuimus non ita in fidelium commodum, et spiritualem profectum quoad alias parochiales ecclesias quamvis eidem prioratui subjectas, extra tamen illud territorium, et in alienis dioecesibus existentes statuendum arbitramur. Quare annuente ipso regio principe, et hodierno magno priore illas nimirum sancti Joannis Baptistae Castri de Vide, et aliam sanctae Mariae, et aliam sancti Jacobi de Marvao, et aliam sancti Martini in dioecesi Portalegrensi, ac alteram etiam sancti Jacobi civitatis Portalegrensis, ac demum aliam parochiales ecclesias sanctae Clarae de Alcaravella in Castri Albi dioecesi, illarumque rectores, et populum quoad regimen ecclesiasticum, et spirituale tantum venerabilibus fratribus Nostris Portalegrensi, et Castri Albi episcopis, eorumque successoribus etiam perpetuo respective, prout antea subjectas, et subjectos esse, et fore volumus, et mandamus.

Jurisdictio in territorio magni prioratus illiusque regimen conceditur regio principi pro tempore deputando in administratorem domus de Infantato.

§. 7. Jam vero ad ecclesisticum, et spirituale regimen territorii magno prioratui, ut praefertur, competentis animum Nostrum convertentes per praesentes statuimus, declaramus, et decernimus, ut omnem in universo territorio juxta praemissa separato jurisdictionem ordinariam in utroque foro, ecclesiasticam nimirum, et spiritualem supra loca, ecclesias, et clerum, ac personas ille habiturus sit, qui a regio principe, et domus de infantato administratore pro tempore existente in provisorem, et vicarium generalem nominatus fuerit. Quia vero ad perampli territorii totius ditionis regimen, et tot fidelium necessitatibus occurrendum, quodque magis est, pro institutione cleri, et illius ordinatione, utque debito cum profectu omnia, et singula loca, ecclesiasque pastorali visitatione etiam confirmationis sacramentum ministrando perlustrari queant satis minime videretur, ut futurus provisor, et vicarius generalis simplicis presbyteri charactere esset munitus; ideo in hac quoque parte precibus Mariae Franciscae reginae, ac Joannis regii principis ejus nati annuendum censemus, firmam enim in Domino fiduciam habemus, eumdem regium principem, ejusque successores regiis omnibus, et christiano principe dignis virtutibus ita praeditas fore, ut divino invocato Spiritu scient, et volent inter Dei ministros eos seligere, qui ad episcopalia munera digniores comperti fuerint, quare Nos pariformiter per praesentes concedimus, et indulgemus regio principi, ejusque domus de infantato regiis successoribus, ut eum ipsi aliquem in magni prioratus provisorem, et vicarium generalem deputabunt, et deputaturi erunt una simul ille in archiepiscopum Hadrianopolitanum in partibus infidelium Nobis, et successoribus Nostris, Sedique apostolicae nominare possint, et valeant, ac etiam debeant, et teneantur ad effectum, ut ad eamdem ecclesiam apostolica auctoritate rite promoveatur, et subinde consecrationis munus juxta ritum pontificalis Romani infra praescriptum tempus sit suscepturus, archiepiscopali insuper dignitati adeo annexam fore intendimus qualitatem et munus provisoris, et vicarii generalis, ut in literis apostolicis illius promotionis ad eamdem ecclesiam Hadrianopolitanam concessionis ordinariae jurisdictionis etiam ad effectum recipiendi commissiones executionum literarum apostolicarum tam gratiam, quam justitiam concernentium in integra ditione, et territorio magni prioratus de Crato ipsi archiepiscopo tribuendae expressa mentio fieri, illaque confirmari debeat, eveniente vero archiepiscopi, et provisoris, vicariique generalis obitu, aut alias illius munere cessante, ne deficiat qui ordinariam in ea ditione valeat jurisdictionem exercere, ipsi regio principi, et infanti, ejusque domus de infantato regiis successoribus facultatem tribuimus, et impertimur, ut unum presbyterum fide dignum, et doctrina praeditum deputare queat, qui usque dum novus provisor, et vicarius generalis, ut praefertur, nominandus literas apostolicas promotionis ad archiepiscopatum Hadrianopolitanum acceperit, tempore intermedio durante, omnem ordinariam in illa ditione jurisdictionem, citra tamen ea, quae episcopalem ordinem et characterem requirunt, exercere possit, et debeat, prout illa a pro tempore existente archiepiscopo provisore, et vicario generali exercebitur.

Consulitur decenti substentationi provisoris generalis, ad archiepiscopalem dignitatem servandam praepositi

§. 8. Demum cum in sublimi archiepiscopali dignitate futurus provisor, vicariusque generalis ad debitum teneatur servandum decus, ecclesiasticumque splendorem; ideo ad congruae illius substentationi consulendum, illi ejusque successoribus pro tempore existentibus super omnibus, et singulis dicti magni prioratus fructibus, redditibusque annuam as-

signationem, sive provisionem decies centum mille realium monetae illarum partium, quae mille, et tercentum scuta monetae Romanae, ut pariter accepimus, constituunt, quae quidem summa ab iis, qui eadem una cum dignitate archiepiscopali munera obtinebunt ejusdem Joannis principis ex sua munificentia jam praestito ad id consensu annuatim erit percipienda, ipsarum etiam tenore praesentium apostolica Nostra suprema auctoritate reservamus, constituimus, et assignamus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 9. Praesentes autem literas etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes ad hoc vocati, citati, et auditi non fuerint, aut ex quibusvis aliis causis, occasionibus, vel praetextibus de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari, aut alias infringi, vel quomodolibet retractari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus posse, easque omnino sub quibusvis constitutionibus, revocationibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus generalibus, vel specialibus etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, aut alias quandocumque, et quibusvis de causis etiam pro tempore factis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et perpetuo validas, firmas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari, illisque quorum favorem praesentes Nostrae literae quomodolibet concernunt perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere; sicque in praemissis ab omnibus censeri, et ita per quoscumque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate, et potestate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictae Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 10. Quocirca venerabili fratri Carolo Bellisomi archiepiscopo Tyanensi in civitate Lisbonensi Nostro, et apostolicae Sedis nuntio, ejusque successoribus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi per se, vel alium, seu alios ipsas praesentes literas, et in eis contenta quaecumque ubi, et quando opus fuerit, ac quoties fuerint requisiti solemniter publicantes, et in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate Nostra easdem praesentes, et in eis contenta quaecumque ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari, non permittentes quempiam super praemissis per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, si qui forent, cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, vel praeminentiae fuerint per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, vel facti remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus quatenus opus sit Nostris, et cancellariae apostolicae regulis etiam de jure quaesito non tollendo, ac de unionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, et quibusvis Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; nec non ordinis sancti Joannis Hierosolymitani, dictique magni prioratus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis primodicto ordini, ejusque magno magistro, et militibus, vel quibusvis aliis personis per quoscumque Romanos pontifices praedecessores Nostros, et dictam Sedem sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam iteratis, et multiplicatis vicibus concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita, et praescripta forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, praesentibus inserti forent etiam praesentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad effectum validitatis, et perpetuae firmitatis, ac plenariae executionis praemissorum omnium, et sin-

gulorum hac vice dumtaxat, harum serie specialiter, et expresse derogamus. Ad hoc autem, ut eaedem praesentes Nostrae literae quoties opus fuerit innotescant volumus, et statuimus, quod ipsarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis, et sigillo ipsius Caroli archiepiscopi, et illius successorum munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae confirmationis, approbationis, revalidationis, reintegrationis, divisionis, distinctionis, separationis, consensuum suppletionis, concessionis indulti, reservationis, constitutionis, assignationis, decreti, mandati, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario coutraire; siquis hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, sexto idus januarii, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

## CMXXV.

Dat. die 22 januarii 1793 anno XVIII.

Instantibus consiliariis civitatis Recinetensis confirmatur rescriptum r. p. d. auditoris SSmi quo praescribitur, ut deinceps in adligendis familiis inter consiliarios dictae civitatis recensendis constare debeat, ipsas possidere bona valoris scutorum sex millium.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum dilectis filiis hodiernis consiliariis nobilis regiminis civitatis Nostrae Recinetensis quam maxime cordi sit, ut splendor muneris consiliarii patriae suae magis magisque vigeat, atque ad omnia consecutura tempora purus, nitidusque servetur, exponi Nobis nuper fecerunt, quod per capitula bussolaria nuncupata dictae civitatis Recinetensis a felicis recordationis Clemente pp. XI. anno millesimo septingentesimo decimo septimo per suas in simili forma Brevis expeditas literas in forma specifica confirmata, quae in bussolo renovatione ad novas adligendas familias inserviunt, inter caetera sub numero primo praescribitur ut cives, vel exteri, qui inter consiliarios ejusdem civitatis cooptari desiderant, probare teneantur se possidere bona fructifera valoris saltem scutorum duorum mille: ast licet summae hujusmodi fructus, ac redditus tunc temporis forsan sat essent ad decentem nobilis familiae exhibitionem, nunc tamen ob annonae, et luxus augmentum ad hoc impares non solum videntur, sed etiam cum quilibet ferme de populo parce, ac misere vivendo rem suam familiam dicti valoris scutorum duorum mille constituat, hinc adlectio inter consiliarios hujusmodi vilescat, ac antiquus familiarum splendor penitus imminuatur: quo itaque huic incommodo memorati exponentes aliquod firmum adhiberent remedium jam a dilecto filio magistro Aurelio Roverello auditore Nostro obtinuerunt rescriptum tenoris, qui sequitur.

Die 29. novembris 1792.

Ex audientia Sanctissimi

Tenor rescripti lati ab auditore sanctissimi.

§. 2. Sanctissimus attentis expositis, ac relatione, et voto r. p. d. Marchiae praesidis quoniam adauctus civitatis splendor, ac sumptuosior vitae cultus ampliorem postulat censum praesertim in primoribus civitatis, proinde mandavit, ut abhinc

imposterum quicumque postulaverit adlectionem inter consiliarios nobilis regiminis Recineti, habere debeat bona propria libera fructifera, quorum valor adaequet summam scutorum saltem sex millium, firmis caeteroquin manentibus caeteris omnibus qualitatibus, conditionibus, et declarationibus expressis in capitulis civitatis, quibus novam hanc sanctionem augentem consiliariorum censum a scutis duobus millibus ad scuta sex millia adijciendam esse mandavit. Et ita non obstantibus praefatis capitulis, Brevi confirmatorio san. mem. Clementis XI. ceterisque aliis quomodolibet in contrarium facientibus.

A. Rovarella aud.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Verum ut rescriptum hujusmodi firmius subsistat, et servetur exactius illud iidem exponentes apostolicae confirmationis patrocinio firmari summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut supra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur exponentes praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertum rescriptum auctoritate apostolica confirmamus, et approbamus, ac omnibus, et singulis in ea contentis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus quatenus opus sit memoratis Clementis praedecessoris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae civitatis Recinetensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleue, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die vicesima secunda januarii millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Dat. die 29 januarii 1793 anno XVIII.

CMXXVI.

Restitutio festivitatis sancti Stanislai episcopi et martyris pro regno Poloniae, et magno ducatu Lithuaniae ad diem octavam maii.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, aliisque locorum ordinariis regni Poloniae, et magni ducatus Lithuaniae.

Pius PP. VI.

Venerabiles fratres
Salutem, et apostolicam benedictionem

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Cum Nos alias per Nostras in simili forma Brevis die secunda aprilis mox transacti anni millesimi septingentesimi nonagesimi secundi expeditas literas, quo Christifidelium in sanctum Stanislaum episcopum, et martyrem regni Poloniae, et ducatus Lithuaniae patronum principalem veneratio augeretur, carissimi in Christo filii Nostri Stanislai Augusti Poloniae regis illustris precibus Nobis humiliter porrectis annuentes, fraternitatibus vestris festum diem ipsius sancti Stanislai, qui die octava maii celebrabatur ad diem tertiam ejusdem mensis maii transferendi plenam, et amplam facultatem concesserimus, prout in eisdem Nostris literis, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Quod sicut accepimus translatio festi hujusmodi, quin ad intendendam Christifidelium in sanctum Stanislaum pietatem, ac religionem conferret, horum etiam imminutioni vertebatur, hinc Nos quantum maxime desiderantes, ut totius inclytae nationis Polonae in sanctum suum principalem patronum in singulos dies magis magisque amplietur, ac dilectorum etiam filiorum novae confoederationis nationalis precibus hisce desuper Nobis humiliter porrectis annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitatibus vestris celebrationem festivitatis sancti Stanislai episcopi, et martyris praedicti una cum indulgentiis, aliisque gratiis, et indultis spiritualibus alias a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris festivitatis hujusmodi celebrationi quomodolibet adnexis ad octavam diem maii, servatis iis omnibus, quae ante memorotas Nostras literas servabantur, auctoritate Nostra apostolica restituendi, et reponendi plenam, et amplam facultatem tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus, quatenus opus sit, iisdem memoratis Nostris literis, constitutionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima nona januarii millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Dat. die 29 januarii 1793 anno XVIII.

## CMXXVII.

Instante rege catholico separantur provinciae clericorum regularium ministrantium infirmis in Hispania, atque America existentes a corpore congregationis, ac eriguntur in novam congregationem.

### Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Apostolicae Sedis auctoritas, qua universi catholici orbis consulit felicitati, religiosorum ordinum commodo, et tranquillitati sic semper prospexit, ut ea omnia opportunis sancitis legibus decreverit, quae ad illorum regimen, atque incolumitatem conferre in Domino videretur.

Expositio precum porrectarum a rege catholico.

§. 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici expositum fuit, urgentissimis de causis separationem provinciarum Hispanae scilicet, et Americanae clericorum regularium congregationis ministrantium infirmis a praeposito generali extero, ac easdem provincias in novam congregationem Hispanam per Nos erigi summopere desiderare.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos rite, ac mature perpensis rationum momentis, quae separationem, ac respective erectionem hujusmodi suadere poterant, atque enixis ejusdem Karoli regis catholici hisce desuper semel, iterum, ac tertio exhibitis precibus favorabiliter quantum cum Domino possumus annuere, clericosque provinciarum, ac congregationis praedictarum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus memorati Karoli regis catholici nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, memoratas provincias clericorum congregationis ministrantium infirmis, omnes scilicet domos ejusdem congregationis in Hispaniis, ac America eidem Carolí regi catholico subjectis consistentes, ac personas omnes a subjectione, jurisdictione, correctione, obedientia, et visitatione praepositi generalis dictae congregationis perpetuo auctoritate apostolica tenore praesentium eximimus, et liberamus, easdemque provincias, seu domos praedictas sic exemptas, et separatas in novam congregationem Hispanam clericorum regularium congregationis ministrantium infirmis nuncupandam auctoritate, et tenore praedictis erigimus, et instituimus.

Consulitur bono regimini congregationis

§. 4. Praeterea cum haec quoque congregatio sic a Nobis per praesentes erecta ab uno vicario generali, quatuor consultoribus, ac uno arbitro, et a secretis regi, et gubernari debeat, qui omnes iisdem facultatibus, auctoritate, honoribus, praerogativis, privilegiis, ac exemptionibus polleant, quibus praepositus generalis totius congregationis praedictae, ac consulta generalis respective pollent, suisque officiis eodem prorsus modo et forma, quae ab apostolicis literis, decretis, ac rescriptis itidem apostolicis, et constitutionibus congregationis praedictae sunt praescripta fungi debeant; clericos novae congregationis hujusmodi tum vicarium generalem, tum memoratos officiales juxta regulares dictae congregationis constitutiones auctoritate apostolica confirmatas sibi eligendi, nec non etiam praefectos, seu superiores locales deputandi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Concessio indultorum, privilegiorum, et gratiarum.

§. 5. Tandem eidem congregationi sic noviter erectae, illiusque ecclesiis, et clericis regularibus, nunc, et pro tempore existentibus, ut omnibus, et singulis favoribus, indulgentiis, exemptionibus, indultis, suffragiis, aliisque gratiis spiritualibus, et temporalibus, quibus eadem congregatio, illiusque ecclesiae, ac clerici ante dismembrationem, separationem, et exemptionem praedictam utebantur, fruebantur, ac potiebantur, seu uti, frui, et gaudere poterant, parimodo etiam in posterum, uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant, in omnibus, et per omnia perinde ac si privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones, et indulta hujusmodi ipsi congregationi post suam separationem, et exemptionem praedictam, illiusque ecclesiis, et clericis specialiter concessa reperirentur, ita tamen ut defunctis suffragia praestent a capitulis generalibus ordinata auctoritate, et tenore praedictis, concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatas etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et San-

ctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et santae Sedis nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, synodalibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo, ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, coeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima noua januarii millesimo septingentesimo nouagesimo tertio pontificatus Nostri anno decimo octavo.

## CMXXVIII.

Dat. die 5 februarii 1793 anno XVIII.

Facultas directori domus exercitiorum spiritualium civitatis Hispalensis pro tempore existenti benedicendi paramenta, ac vestes sacras cappellae oratorii ejusdem domus, ac in eo asservandi sanctissimum Eucharistiae sacramentum.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Decet Romanum pontificem ea omnia, quae ad animarum salutem, ac proximorum aedificationem constituta esse noscuntur, sua auctoritate confovere, ac quo incepta hujusmodi in dies augeantur, gratiis spiritualibus ditare, prout mature rerum, ac temporum circumstantiis perpensis in Domino salubriter expedire arbitratur.

Expositio precum.

§. 2. Expoui siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Theodimirus Ignatius Diaz de la Vega presbyter saecularis congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii in civitate Hispalensi, quod ipse in animarum salutem omnes cogitationes suas intendens domum cum sacello, atque opportunis officinis, et suppellectili optime instructam magnis sumptibus aedificavit, ut hic tum ecclesiastici, tum saeculares, qui exercitiis spiritualibus ad animarum suarum utilitatem vacare exoptassent, exciperentur: quod quidem inceptum annuentibus, immo approbantibus ipsis archiepiscopis Hispalensibus adeo excrevit, ut quotannis quadringentorum numerum excedit animarum suarum saluti ferventer vacantium concursus: quapropter nuper etiam carissimus in Christo filius Noster Karolus Hispaniarum rex catholicus hanc domum in suam, et Hispaniarum regnum catholicorum ejus successorum regiam tutelam adscivit, eamque regalem domum per suum regium diploma 6 junii anni 1791. vocari voluit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, moderatorem spiritualem domus hujusmodi, et illius sacellum ad Christifidelium inibi concurrentium spiritualem utilitatem memoratus exponens nonnullis gratiis per Nos ditare summopere desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur eumdem exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati,

ut tempore exercitiorum spiritualium hujusmodi augustissimum Eucharistiae sacramentum in sacello, seu oratorio ipsius domus asservari, Christifidelium adorationi exponi, ac etiam fidelem populum benedici libere, ac licite possit, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus: moderatori vero spirituali ejusdem domus pro tempore existenti, ut ipse vestes sacerdotales, corporalia, et alia ornamenta, et paramenta ecclesiastica ad cultum divinum, ad cappellae, seu oratorii praedicti dumtaxat servitium necessaria benedicendi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur. Ad augendam porro fidelium inibi per octo saltem dies continuos spiritualibus exercitiis vacantium religionem, ac animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris procurandam de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi: omnibus, et singulis Christifidelibus, qui in dicta domo per octo saltem dies continuos hujusmodi spiritualibus exercitiis, ut praefertur, dabunt operam, et interea temporis vere poenitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, nec non iisdem Christifidelibus in dicta domo ad pium, ac salutare opus hujusmodi exercendum commorantibus, ut recitando litanias beatae Mariae virginis in cappella, seu oratorio praedicto indulgentiam biscentum dierum ab apostolica Sede jam alias concessam animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicare possint, auctoritate, et tenore praedictis pariter elargimur. Tandem, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cujusvis ordinis, congregationis, et instituti regularis missam defunctorum ad altare ipsius cappellae, seu oratorii pro anima cujuscumque Chirstifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac beatissimae virginis Mariae, sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus, et indugemus.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit Hispalensis dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis stasatutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quinta februarii millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Dat. die 9 februarii 1795 anno XVIII.

## CMXXIX.

Confirmatio tractatus initi cum serenissimo archiduce Austriæ magno duce Etruriæ super confinibus status Pontificii, et Etruriæ.

Pius episcopus
Servus servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Romani pontificis muneri minime consultum foret, nisi præter ea multa, quæ ad christianæ religionis integritatem servandam ei incumbunt; temporalis quoque ditionis sibi attributæ jura tuendo, tranquillitatem foveret, et quæ utiliora comperta sunt pacta probaret.

Expositio status controversiæ super violatione confinium, et pactorum initorum pro compositione amicabili curanda

§. 2. Cum itaque postquam a Nobis una cum dilectissimo in Christo filio Nostro Ferdinando archiduce Austriæ, Etruriæque sibi subjectæ magno duce statuta fuere, et temporalis apostolicæ Sedis status, ac Etruriæ locorum confinia, nec non in eorum aliquibus vetitum fuit, ne intra præfinitam lineæ jurisdictionalis distantiam nova construerentur ædificia, et hæc pactio ita utrique parti utilis comperta fuerit, ut unanimi Nostra cum ipso Ferdinando, et magno duce sententiam illam ad quamlibet eorumdem confinium partem opportunis initis conditionibus ampliare deliberaverimus. Ideo Nos dilecto filio magistro Carolo Mariæ de Federicis notarum arcanarum secretariæ Nostræ status a secretis, et familiari Nostro dedimus in mandatis, ut cum dilecto etiam filio Joanne Gianni ordinis militaris sancti Stephani pp. equite, atque ad ipsius Ferdinandi magni ducis apud Nos gerenda negotia, ad id etiam specialiter designato, præmissam ampliationem constituere, et rem ad exitum perducere valeret. Cumque collatis invicem ipsorum facultatibus de negotio hujusmodi serio, et mature ab ipsis actum fuerit, demum die nimirum decima septima proxime præteriti mensis januarii infrascriptas conventiones, et pactiones, quatenus illæ a Nobis, et ab ipso Ferdinando magno duce probarentur, inierunt ac propriis respective characteribus, et signis obfirmarunt tenoris sequentis.

Tenor conventionum.

§. 3. Essendosi dai due sovrani il sommo pontefice papa Pio sesto, ed il serenissimo arciduca Ferdinando terzo granduca decimo di Toscana concordemente riconosciuta la reciproca utilità del patto apposto in alcune delle moderne ricognizioni tra lo stato ecclesiastico, ed il granducale respettivamente alla proibizione de' nuovi edifizi dentro una stabilita distanza dalla linea del confine giurisdizionale, sono i due prelodati sovrani venuti nell' unanime determinazione di estendere l'osservanza del preindicato patto a qualunque altra parte ancora dei confini pontificj, e granducali, ove non si trovasse il patto suddetto compreso fra le altre condizioni apposte all' istrumento, e trattato della respettiva confinazione. Sono stati pertanto dai sopralodati sovrani autorizzati al concordato da celebrarsi in conseguenza, salva la sovrana respettiva ratifica i due infrascritti deputati per mezzo delle opportune facoltative di riportarsi in copia autentica in piè del presente, in sequela delle quali, e delle respettive particolari istruzioni hanno i deputati anzidetti stabilito, e convenuto solennemente quanto appresso.

Pacta servanda.

§. 4. Primo. Che in qualunque parte della linea giurisdizionale dividente lo stato pontificio dal gran ducato di Toscana, ancorchè non sia stipulato per patto nel rispettivo istrumento di confinazione resti proibito in avvenire a qualunque suddito o abitante dell' uno, o dell'altro stato di fabbricare, o costruire case, capanne, stalle, forni, seccatori, o altri edifizi stabili di qualsivoglia natura, o di ampliare in verun modo alcuna fabbrica già esistente se non alla distanza di canne quaranta fiorentine, di braccia cinque l'una che sono canne Romane cinquantadue, palmo uno, once otto, minuti $4\ ^{8}/_{23}$ dalla linea di confine dividente i due stati sotto la pena in genere della demolizione del fabbricato di nuovo a tutte spese del contravventore, e sotto quelle più speciali pene, che porterà seco la particolare legislazione criminale del rispettivo stato, nel cui territorio averà avuto luogo la contravenzione. Secondo. Che resti in conseguenza molto più espressamente proibito come sopra il traversare con i così detti cavalcavia, o altro edifizio qualunque d'interna comunicazione la strada, o linea del confine dei predetti due stati riserbandosi i due sovrani di prendere di concerto in appresso gli opportuni provvedimenti per quegli edifizj, che ormai già esistono di tal natura presso la linea di confine. Terzo. Che non ostante le sopra espresse proibizioni, sia lecito peraltro a qualsivoglia suddito, o abitante dei due stati limitrofi di ampliare i molini già esi-

stenti, o costruirne de' nuovi lungo le ripe dei fiumi, o torrenti anche dentro l'enunciata distanza di canne quaranta fiorentine dalla linea di confine, purchè però della costruzione dei nuovi, o ampliazione degli antichi sia riconosciuto il bisogno, o venga accordato il permesso di ambedue i governi, ben inteso, che il governo, nel territorio del quale voglia costruirsi, o ampliarsi il molino, e non il particolare edificatore, abbia l'incarico di procurare l'annuenza dell'estero respettivo governo. Quarto. Che non ostante parimente le proibizioni surriferite s'intenda sempre riservato ai due respettivi sovrani il diritto di erigere dentro la citata distanza dal confine nuove dogane, o altri edifizj a quelle appartenenti, o ampliare i già esistenti ogni qualvolta siano destinati all'oggetto di preservare, e custodire le respettive sovrane regole. Quinto. Che debbano i riservi contenuti come sopra nei precedenti articoli terzo e quarto intendersi estesi ancora a tutti quei luoghi di confine tra lo stato ecclesiastico, e gran ducale ove fosse già nel respettivo finale istrumento di confinazione pattuita senza riserva, o specificazione alcuna la surriferita proibizione in genere delle nuove fabbriche ad una data distanza dal confine. Sesto. Che per quanto ha rapporto allo stato pontificio, debbano le sopra espresse proibizioni comprendere qualunque persona ecclesiastica o secolare, o qualsivoglia corpo morale, che per qualsivoglia amplissimo privilegio potesse pretendere di essere esente dall' osservanza del presente concordato, giacchè nelli dominj di sua altezza reale il serenissimo gran duca di Toscana, non vi è alcun individuo o persona ecclesiastica, o secolare, nè alcun corpo morale, che possa pretendere, o dirsi di essere privilegiato. Settimo. Che il medesimo debba dentro un mese dal giorno della sua stipolazione essere solennemente approvato, e sanzionato mediante il baratto delle respettive sovrane ratifiche. Ottavo. Che dentro due mesi dal giorno della ricevuta ratifica venga pubblicato nell' uno, e nell'altro stato, e specialmente nei luoghi, che restano respettivamente a confine, e che non erano prima soggetti alla proibizione come sopra concertata, l'opportuno editto relativo all' osservanza del presente concordato.

Acceptatio pactorum ex parte commissariorum.

§. 5. Noi sottoscritti, usando delle facoltà conferiteci dai respettivi nostri sovrani, e qui inserte originali, e colle reciproche copie autentiche abbiamo fissato il presente concordato, e vi apponghiamo il nostro nome, e sigillo, salve le ratifiche per parte di sua Santità, e di sua altezza reale il serenissimo arciduca, gran duca di Toscana. Questo dì xvii. gennajo MDCCXCIII.

Carlo Maria de Federici segretario della cifra, e deputato della Santità di Nostro Signore papa Pio sesto.

Loco ✠ Sigilli.

Cavalier Giovanni Gianni incaricato degli affari, e deputato da sua altezza reale il serenissimo arciduca, gran duca di Toscana.

Loco ✠ Sigilli.

Sequitur tenor facultatum concessarum.

Monsignor Federici segretario della cifra.

Dalla segretaria di stato li xxviii. novembre MDCCXCII.

Facultates concessae praesuli Federicio, pro stipulanda concordia.

§. 6. Umiliatasi alla Santità di Nostro Signore una rappresentanza della reale corte di Toscana in cui in nome del serenissimo arciduca, gran duca si propone alla Santità Sua di destinare un soggetto il quale firmi il concordato da stipolarsi fra la stessa, e la corte pontificia ad oggetto di estendere a tutta la linea del respettivo confine la proibizione già convenuta per alcuni tratti della medesima linea della erezione di nuove fabbriche ad una distanza determinata; il Santo Padre è venuto nella determinazione di destinare a questo incarico la persona di monsignor Federici segretario della cifra. Se ne reca pertanto al medesimo il presente riscontro, affinchè a tenore del trattato già intrapreso fra le due corti, possa procedere col soggetto destinato a tale atto dalla suddetta real corte, alla firma del concordato da riservarsi sempre alle ratifiche de' due sovrani.

F. S. cardinal de Zelada.

Facultates concessae equiti Gianni ad eumdem effectum.

§. 7. — Item — Signor cavaliere Giovanni Gianni incaricato degli affari di sua altezza reale il serenissimo arciduca gran duca di Toscana presso la santa Sede.

Roma - Illustrissimo signore signore padrone colendissimo

Con sovrano rescritto del 19 del cadente emanato in sequela di mia umilissima rappresentanza dei 6 detto si è degnata sua altezza reale nostro signore di destinare la persona di vostra signoria illustrissima alla firma del concordato da stipolarsi con codesta corte pontificia all'effetto di estendere a tutta la linea del confine Pontificio, e Toscano la proibizione pattuita già fra i due stati per alcuni tratti soltanto di detta linea della erezione di nuove fabbriche ad una determinata distanza dell' indicato confine. Mi faccio un pregio a forma degli ordini della reale altezza sua, di partecipare a vostra signoria illustrissima il divisato sovrano rescritto, affinchè ella in conseguenza del medesimo, e del trattato già intrapresone con cotesta corte, possa procedere con il soggetto, che verrà dalla Santità Sua abilitato a tale atto alla firma dell' ideato concordato da riservarsi sempre alle rispettive sovrane ratifiche. Profitto intanto di questo favorevole riscontro per rassegnarmi col più distinto ossequio

Di vostra signoria illustrissima

Dall' archivio delle riformazioni, e confine - Firenze li xxiv. novembre MDCCXCII.

Devotissimo obbligatissimo servitore
Bernardo Lessi.

*Confirmatio apostolica.*

§. 8. Nos igitur perpendentes præmissas conventiones, et pactiones æquitati consonas, utriusque ditionis subditorum quieti, et tranquillitati profuturas; ipsique Ferdinando magno duci, qui suo diplomate illas probavit, rem gratam agere intendentes, ex certa scientia, deque apostolicæ Nostræ auctoritatis plenitudine, easdem conventiones, et pactiones, illarumque integrum tenorem, ut præfertur, transcriptum, ex parte etiam nostra, ipsarum literarum vi approbamus, pariterque ratas habemus, atque illis omnibus, et singulis auctoritatis Nostræ robur adiicimus; omniaque in eis contenta sincere, et inviolabiliter a quibusvis subditis nostris impletum, et servatum iri volumus, præcipimus, et mandamus.

*Clausula sublata, et decretum irritans.*

§. 9. Decernentes præsentes Nostras literas, et conventiones, ac pactiones in præmissis articulis contentas, et præinsertas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, nec a præmissis recedi, vel resiliri posse, minusque sub quacumque derogatione comprehendi: sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, sublata eis quavis aliter judicandi facultate, judicari, et definiri debere: irritum pariter, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§. 10. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, aliisque, si quæ essent, conventionibus, et pactis quocumque tempore initis, quibus omnibus, et singulis specialiter et expresse per præsentes derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Sanctio poenalis.*

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ approbationis, ratihabitionis, præcepti, mandati, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ, millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, nonis februarii, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

## CMXXX.

*Dat. die 4 januarii 1793 anno XVIII.*

Ut ab utroque clero civitatis et diœcesis Angelopolitanæ officium, et missa sancti Joannis Nepomuceni sub ritu duplici secundæ classis recitari possit.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

*Ratio concessionis.*

§. 1. Cum sicut venerabilis frater modernus episcopus Angelopolitanus, nec non dilecti filii capitulum, et canonici dictae cathedralis ecclesiae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga sanctum Joannem Nepomucenum gerunt devotionis affectu, ritum officii ejusdem sancti per Nos elevari summopere cupiant Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Non igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Carolo Erskine fidei promotore: ut imposterum ab universo clero sæculari, et regulari dictæ Angelopolitanæ civitatis, et diœcesis officium sancti Joannis Nepomuceni prædicti sub ritu duplici secundæ classis recitari possit, ac valeat, ad quem effectum, ritum officii hujusmodi a duplici minori, ad duplicem secundæ classis pro utroque clero prædicto elevamus, apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non civitatis, et diœcesis prædictæ, ejusque cleri etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quarta januarii millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo octavo.

# PIUS VI.

## ANNO DECIMO NONO

Dat. die 26 februarii 1793 anno XIX.

### CMXXXI.

Instantibus rectore, et decanis, atque provisoribus universitatis Coloniensis renovatur indultum nominandi ad canonicatus.

Dilectis filiis nobilibus viris consulibus, et senatus civitatis, et reipublicæ Coloniensis.

Pius PP. VI.

Dilecti filii nobiles viri
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Memorantur providentiae ad rem captae a Paulo V. aliisque pontificibus.

§. 1. Alias piæ memoriæ Paulo pp. V. prædecessori Nostro pro parte vestra exposito, quod pridem felicis recordationis Clemens pp. VIII. similiter prædecessor Noster, cum accepisset, quod antea rec. mem. Paulus pp. IV. etiam prædecessor Noster certis tunc expressis causis adductus rectori, et decanis quatuor facultatum videlicet theologiæ, juridicæ medicinæ, et artium, quæ consistunt in tribus gymnasiis Montano, Laurentiano, et trium Coronarum universitatis studii generalis Coloniensis, consiliique illius facultatis ex quo persona nominanda esset apostolica auctoritate indulsit, ut cum provisoribus ejusdem universitatis personas assumere possent in eadem universitate promotas, ac in publicis scholis legentes, et lecturas, quas ipse rector, et decani, ac provisores, præstito juramento, unanimi consilio illius facultatis, in qua legerent, vel legere deberent, ad id more solito congregati idoneas, et catholicas esse, ac ad laudem, et fructum studiosorum profiteri posse cognoscerent, easque dilectis filiis majoris, et aliarum ecclesiarum dictæ civitatis capitulis, ad quæ canonicatuum, et præbendarum in iisdem ecclesiis consistentium collatio, provisio, præsentatio, electio, institutio, seu quævis alia dispositio communiter, vel divisim, aut alias quomodolibet pertineret, dictæ videlicet majoris, ac sancti Gereonis Coloniensis ad presbyterales tamen; ad reliquos vero aliarum ecclesiarum canonicatus, et præbendas, qui inde ad triennium tunc venturum in singulis martii, julii, et novembris mensibus Sedi apostolicæ per concordata Germaniæ cum ipsa Sede inita, reservatis vacassent, nominare valerent eos, ad quos illorum collatio, provisio, præsentatio, electio, et dispositio ejusmodi spectaret, et deinde dictum triennium semel atque iterum piæ memoriæ Pius pp. IV. et Pius pp. V. etiam prædecessores Nostri, ad simile triennium prorogarunt, et indultum prædictum etiam ad majorem post pontificalem, et principales, aliasque dignitates, personatus, administrationes, et officia etiam curata, nec non vicarias, et cappellanias perpetuas majoris, collegiatarum, aliarumque ecclesiarum Coloniensium, quæ in prædictis mensibus intra ipsum tempus vacarent, ampliaverant, et successive rec. mem. Gregorius pp. XIII. similiter praedecessor Noster terminum a prædicto Pio V. prædecessore prorogatum, vel concessum, ad aliud triennium primo, et subinde ad quinquennium, alias juxta formam literarum indulti Pauli IV. prædecessoris prædicti dumtaxat extenderat, vel etiam concesserat, et deinde idem quinquennium ab eo prorogatum, vel concessum, ad aliud quinquennium ab illius fine numerandum

extenderat, et ampliaverat, si vero lapsum esset novum quinquennium hujusmodi ad hoc, ut prædictum, novo quinquennio durante rector, decani, et provisores prædicti ad presbyterales majoris, et sancti Gereonis tantum, ad omnes vero alios reliquarum ecclesiarum Coloniensium canonicatus, et præbendas dumtaxat personas nominare possent, de novo concesserat, et successive similis memoriæ Sixtus pp. V. etiam prædecessor Noster quinquennium ab eodem Gregorio ultimo prorogatum, seu concessum ad quadriennium a fine ultimo prorogati, seu concessi quinquennii hujusmodi inchoandum extenderat, et ampliaverat; si vero lapsum esset, novum quadriennium ejusmodi, ad hoc, ut ipso durante, rector, decani, et provisores ad presbyterales majoris, et sancti Gereonis, ad omnes vero alios reliquarum ecclesiarum Coloniensium canonicatus, et præbendas dumtaxat, qui interim in aliquo ex tribus mensibus prædictis juxta formam, et tenorem literarum Pauli prædecessoris prædicti, tantum personas, ut prefertur, qualificatas nominare, et alias prout in literis dicti Pauli IV. prædecessoris continetur, facere possent, indulserat; ita tamen, ut personæ sic nominatæ intra sex menses a die provisionis, collationis, seu alterius cujusvis dispositionis, de prædictis canonicatibus, et præbendis in vim nominationis ejusmodi factæ numerandos, novas provisiones de iisdem canonicatibus, et præbendis a dicta Sede petere, et literas apostolicas sub plumbo in totum expedire, ac jura cameræ apostolicæ, et aliis propterea debita persolvere omnino tenerentur, et nisi præmissa adimplerent, ipso semestre elapso, iidem canonicatus, et præbendæ vacarent eo ipso, et sic vacantes per Sedem apostolicam dumtaxat, aliis quibusvis personis conferri libere possent; volens, ut rector, et alii ejusmodi jus nominandi habentes, sive ecclesiastici, sive laici forent, fidem catholicam juxta articulos ab eadem Sede propositos in manibus archiepiscopi, sive officialis Coloniensis pro tempore existentis annis singulis profiteri tenerentur, alioquin nominationes ab eis faciendæ, et inde secuta omnia nullius essent roboris, vel momenti, ipse etiam Clemens prædecessor certis tunc expressis de causis tempus quadriennii per dictum Sixtum prædecessorem prorogati, seu de novo concessi de consilio tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium congregationis Germanicæ bis ad aliud quinquennium extenderat, et prorogaverat, et quatenus lapsum esset idem indultum de novo concesserat juxta formam literarum Pauli IV. prædecessoris Nostri, ita tamen, ut prioris indulti ejusmodi prorogatio, seu concessio non extenderetur ad canonicatus, et præbendas ecclesiæ metropolitanæ quam aliarum ecclesiarum omnium dictæ civitatis etiam ad alios, qui in alia, quam Coloniensi accademia, gradum suscepissent illud extensum esse voluerat, ac extenderat, et ampliaverat, volens, et inhibens, si aliquis nominatus beneficium, ad quod nominatus fuisset resignare vellet, ne ullomodo, nisi in manibus Romani pontificis, aut nuncii apostolici in dicta civitate Coloniensi pro tempore existentis ejusmodi beneficium ad favorem alterius, a rectore, et decanis prædictis nominandi; nec per resignationem illud, nec permutationem dimittere posset, quodque non nisi servato inter competitores concursu a sacro concilio Tridentino in collationibus parochialium ecclesiarum præscripto, ad canonicatus, et præbendas prædicta nominare, et conferre deberent, ac nominantes jurare se dignoscere, et ad profitendi munus magis aptum prælaturas, et vicissim eum, quem præferri contigisset, jurare se injunctum, profitendi officium diligenter præstiturum.

§. 2. Deinde vero ex causis prædictis dictus Clemens prædecessor indultum hujusmodi ad aliud quinquennium iterum prorogaverat, ac extenderat, seu concesserat, decreveratque ejusmodi canonicatus, et præbendas, nonnisi personis ex aliqua ex dictis universitatibus idoneis, qui jure jurando ad profitendi munus diligenter sese adstringerent, dumtaxat conferri ad canonicatus, et præbendas prædictos per eos hujusmodi nominationis vigore obtinendos, nonnisi in manibus Romani pontificis pro tempore existentis cum specifica mentione, quod illos vigore nominationis ejusmodi consecuti essent, resignari, vel alias dimitti nullatenus possent, alioquin canonicatus et præbendæ ejusmodi vacarent eo ipso, ita ut de illis per Sedem apostolicam dumtaxat disponi posset, idem Paulus prædecessor supplicationibus sibi super hoc humiliter porrectis, inclinatus, indultum vobis a prædicto Clemente prædecessore concessum, et desuper expeditas literas prædictas ad aliud quinquennium a fine quinquennii ultimo dicti a Clemente prædecessore concessi computandum auctori- Enumeratio aliarum concessionum factarum ipsi universitati.

ſtate apostolica extendit, et prorogavit, et nihilus sine præjudicio tunc, et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis dilectis filiis rectori, ac decanis prædictarum quatuor facultatum in dicta universitate canonice institutarum, et consilio illius ex facultatibus ejusmodi, cujus persona juxta formam literarum Pauli IV. prædecessoris nominanda fuisset, etiam pro tempore existentibus una cum dilectis etiam filiis provisoribus ipsius universitatis, ut personas in eadem universitate promotas, ac legentes, et lecturas, quas ipsi rector, decani, ac provisores medio eorum juramento una cum consilio facultatis ejusmodi, in qua personæ ipsæ legerent, vel legere deberent, ad hoc more solito convocati idoneas, et catholicas esse, ac cum laude, et fructu inibi pro tempore studentium profiteri posse affirmarent, ita ut si controversia in nominando inter rectorem, et decanos, nec non provisores, et consilium ejusmodi exorta fuisset ille, quem major pars votis suis præferendum putasset; præferetur dilectis filiis majoris, et sancti Gereonis, ac aliarum ecclesiarum capitulis, ad quæ canonicatuum, et præbendarum in iisdem ecclesiis consistentium collatio, provisio, præsentatio, electio, institutio, et quævis alia dispositio conjunctim, vel separatim, aut alias quomodolibet cessantibus reservationibus, et affectionibus apostolicis, pertinebat, videlicet, ad presbyterales tantum majoris, et sancti Gereonis, ita ut nominandæ personæ secundum eorum statuta, et privilegia eorum capitulis concessa, ut præmittitur, qualificatæ essent, ad omnes vero, et singulos alios canonicatus, et singulas præbendas reliquarum ecclesiarum ejusmodi, quæ ex tunc, ad quinquennium tunc proximi futurum a fine ultimi quinquennii per Clementem prædecessorem prorogati, seu concessi computandum in singulis martii, julii, et novembris mensibus pro tempore vacassent, et vacare contigeret, nominare libere, et licite valerent dicta auctoritate concessit, et indulsit, ac statuit, et ordinavit, quod ii, ad quos collatio, provisio præsentatio, electio, institutio, vel quævis alia dispositio canonicatuum, et præbendarum ejusmodi pro tempore spectaret, canonicatus, et præbendas, quos personæ ad illos sic nominatæ per se, vel procuratorem suum ab eis specialiter constitutum infra unius mensis spatium, postquam eis, vel procuratori suo illorum vacatio innotuisset, duxisset acceptandos, cum omnibus juribus, et pertinentiis suis, iisdem nominatis personis conferre, et de eis etiam providere, seu ad eos illas præsentare, aut eligere, vel in iis instituere, aut alias de illis in earumdem personarum nominatarum favorem disponere tenerentur, quodque iis præmissa facere recusantibus, vel negligentibus, aut differentibus etiam pro tempore abbas sancti Martini Coloniensis, et decanus ecclesiæ s. Pauli Leodiensis, et qui hæreticæ pravitatis inquisitor in illis partibus auctoritate apostolica deputatus existeret prior domus ordinis fratrum Prædicatorum, et Coloniæ, et eorum quilibet canonicatus et præbendas, sic vacantes personis ad illos, ut præmittitur, nominatis pro ea vice tantum eadem auctoritate conferre, et de illis etiam providere libere, ac licite possent, et quod ab iisdem personis sic pro tempore nominatis in actu nominationis de eis pro tempore factæ in qua facultate, in quo gymnasio in qua hora illa docere, seu legere deberent, exprimeretur, et si a præmissis defecissent, post primam, et secundam monitiones eis desuper factas, a perceptione fructuum, reddituum, et proventuum præbendarum, quas vigore nominationum, et collationum ejusmodi tunc assecuti fuissent, per abbates, et decanum ecclesiæ sancti Pauli Leodiensis, et priores prædictos, aut aliqua ex iis ad requisitionem illis per electorem, et decanos facultatum, ac provisores universitatis ejusmodi faciendam suspenderetur, et si suspensionem ejusmodi per mensem sustinuissent, indurato animo, iisdem præbendis ipso facto, et cum affectu privarentur, et pro privatis haberentur, et statim de illis aliæ personæ modo, et forma præmissis providerentur.

§. 3. Verum si personæ nominatæ prædictæ in aliquam suspicionem hæresis incidissent, in eas per inquisitores hæreticæ pravitatis in illis partibus eadem auctoritate deputatos absque ulla mora inquirerentur, et si illæ compertæ fuissent hæresis ejusmodi infectæ, alii catholici ad beneficia per illos obtenta simili modo nominarentur, et subinde quinquennium hujusmodi ad aliud quinquennium a fine dicti quinquennii computandum semel, atque iterum extendit, et prorogavit, seu concessit, et indulsit. Postmodum autem postquam felicis recordationis Gregorius pp. XV. similiter prædecessor Noster per suas in simili forma Bre- *Poenae contra personas nominatas insfictae si in haeresis suspicionem inciderint.*

vis expeditas literas indultum prædictum vobis, ut præmittitur, prorogatum, ac desuper confectas literas, et in eis contenta, ita tamen, ut hujusmodi indultum canonicatus, et præbendas metropolitanæ ecclesiæ Coloniensis minime comprehenderet, neque ad eos se extenderet, ac sine præjudicio dicti tunc, et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis, ac alias sub certis modo, et forma tunc expressis ad aliud quinquennium de novo concesserat, et subinde rec. mem. Urbanus pp. VIII. pariter prædecessor Noster, attendens, quod indultum hujusmodi per cancellariæ apostolicæ regulas fuerat revocatum, et sicuti eidem Urbano prædecessori tunc exponi feceratis, causæ propter quas idem indultum a Paulo IV. prædicto primo loco concessum, et ab aliis Romanis pontificibus prædecessoribus Nostris prædictis, ut supra, prorogatum, et expresse de novo concessum fuerat, conservationis nimirum catholicæ religionis in ista civitate Coloniensi eousque vigebat, vosque cupiebatis ad catholicorum virorum studia in istis partibus alenda, ac alicienda hujusmodi indulto diutius frui posse, idem Urbanus prædecessor per alias suas in simili forma Brevis expeditas literas indultum prædictum vobis per dictum Gregorium prædecessorem ad quinquennium, ut præfertur, de novo concessum, ac desuper confectas literas prædictas, et in eis contenta, ad aliud quinquennium apostolica auctoritate sub certis modo, et forma tunc expressis de novo concessit, ipsumque quinquennium ad aliud pariter quinquennium, et deinde secundo dictum quinquennium ad aliud similiter quinquennium extendit, et prorogavit, ac deinceps eidem Urbano prædecessori per vos exposito, seu subjuncto ad quinquennium tunc per eum ultimo loco extensum, seu concessum brevi erat expiraturum, et causæ propter quas indultum ejusmodi tam a prædictis Romanis pontificibus, quam ab eo ultimo concessum fuerat, eatenus vigebant, dictus Urbanus prædecessor indultum prædictum per eum ultimo loco ad quinquennium, ut præfertur extensum, seu de novo concessum, ac desuper confectas literas, et in eis contenta, ita tamen ut provisiones hujusmodi servata dictarum literarum forma fierent, ipsumque indultum canonicatus, et præbendas ecclesiæ metropolitanæ Coloniensis minime comprehenderet, nec ad eos se extenderet, ac alias sub certis modo, et forma etiam tunc expressis ad aliud quinquennium extendit, et prorogavit, et postmodum similis rec. Innocentio pp. X. prædecessori etiam Nostro per vos exposito, quod causæ propter quas indultum hujusmodi tam ab eodem Urbano tunc novissime, quam ab aliis prædecessoribus concessum fuerat, etiam eatenus vigebant, ipse Innocentius prædictum vobis per eumdem Urbanum prædecessorem ultimo loco ad quinquennium, ut præfertur, extensum, seu de novo concessum, ac desuper confectas literas, et in eis contenta sub certis pariter conditionibus, modoque, et forma tunc expressis ad aliud quinquennium pariter concessit. Quinquennium hujusmodi postmodum ad aliud etiam quinquennium a die xx. februarii MDCL. computandum extendit, et prorogavit, ac successive similis mem. Alexander pp. VII. etiam prædecessor Noster supplicationibus vestro nomine sibi humiliter porrectis inclinatus per ternas suas in simili forma Brevis literas unas die xxviii. augusti MDCLV. et alias die viii. januarii MDCLXI., et reliquas die xiv. martii MDCLXIV. expeditas indultum prædictum vobis concessum, et prorogatum, ut præfertur, sub certis modo, et forma tunc expressis primo quidem ad quinquennium, subinde vero ad triennium, et novissime ad quadriennium; et postmodum similis rec. Clemens pp. IX. itidem prædecessor Noster per suas pariter in simili forma Brevis die ix. septembris MDCLXVII. expeditas literas idem indultum ad quinquennium, illudque successive similis rec. mem. Clemens pp. X. etiam prædecessor Noster per literas suas similiter in forma Brevis die xviii. julii MDCLXX., et die xxvii. junii MDCLXXV. emanatas literas bis pariter ad quinquennium, et sim. rec. Innocentius pp. XI. item prædecessor Noster per ternas suas etiam in forma Brevis unas die ii. decembris MDCLXXVIII., alteras die xxvii. januarii MDCLXXXIV., et reliquas die xxvii. januarii MDCLXXXIX. expeditas literas, ter itidem ad quinquennium, ac sim. rec. Innocentius pp. XII. etiam prædecessor Noster per suas itidem in forma Brevis die xxix octobris MDCXCVIII. expeditas literas itidem ad quinquennium, et sim. rec. mem. Clemens pp. XI. etiam prædecessor Noster per binas suas pariter in forma Brevis die xix augusti MDCCV. et die ii septembris MDCCXVII. emanatas literas bis quoque ad quinquennium, ac rec. etiam mem. Innocentius

pp. XIII. prædecessor similiter Noster per suas itidem in forma Brevis die v septembris MDCCXXII. expeditas literas pariter ad quinquennium, ac piæ mem. Benedictus pp. XIII. prædecessor etiam Noster per suas quoque in eadem forma Brevis die xviii junii MDCCXXVII. editas literas indultum hujusmodi ad septennium concessit, et rec. itidem mem. Clemens pp. XII. pariter prædecessor Noster per suas quoque in simili forma Brevis die xxviii septembris MDCCXXXV. editas literas indultum hujusmodi ad quinquennium de novo concessit, ac subinde fel. rec. Benedictus pp. XIV. similiter prædecessor Noster ad septennium, nempe die xxx septembris MDCCXLI., diei xxii maii MDCCLI., et die x aprilis MDCCLVIII. per suas apostolicas literas indultum prædictum concessit, ac deinde fel. rec. Clemens pp. XIII. similiter prædecessor Noster per suas literas die x julii MDCCLXV. ad aliud septennium indultum prædictum concessit, ac postmodum piæ mem. Clemens pp XIV. prædecessor quoque Noster per suas in eadem forma Brevis die xxvi martii MDCCLXXII. expeditas literas dictum indultum ad aliud septennium pariter concessit, et prorogavit; ac tandem Nos per Nostras literas in eadem forma Brevis, primum die vi martii MDCCLXXIX., et deinde x februarii MDCCLXXXVI. expeditas ad aliud septennium dictum indultum concessimus, et prorogavimus, prout in dictis Nostris, et singulis memoratorum prædecessorum Nostrorum literis, quarum tenores præsentibus, pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur.

Preces porrectae pro confirmatione indulti.

§. 4. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecistis septennium ultimo loco a Nobis concessum brevi expiraturum sit, causæ vero propter quas idem indultum per prædictos Romanos pontifices, et per Nos pluries concessum, et prorogatum respective fuit, etiam nunc vigeant, vosque propterea indultum hujusmodi ad effectum supradictum per Nos vobis de novo concedi desideretis.

Tenor concessionis.

§. 5. Nos specialem vobis gratiam facere volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristis hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus vestrum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, indultum prædictum vobis, sicut præmittitur, pluries concessum, et prorogatum cum omnibus, et singulis contentis in literis prædictis, ita tamen ut provisores ejusmodi, servata dictarum literarum forma fiant, quacumque prætensa praxi, consuetudine, seu tollerantia contraria non obstante, quam potius abusum esse, ac proinde præsens indultum in omnibus, et per omnia juxta ejus tenorem, et proprietatem, prout verba illius sonant, et non aliter, nec alio modo servari debere decernimus; et cum hoc, quod indultum ejusmodi canonicatus, et præbendas metropolitanæ ecclesiæ Coloniensis minime comprehendat, nec ad eos se extendat, ac sine præjudicio venerabilis fratris moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis, nec non cum singulis, et omnibus aliis facultatibus, concessionibus, et ordinationibus, clausulis, et decretis appositis in dictis literis, ac servata in omnibus, et per omnia earumdem literarum forma ad aliud septennium a fine ultimo dicti septennii, sicut præfertur, prorogati, seu concessi, computandum auctoritate apostolica tenore præsentium de novo concedimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuntios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decernentes etiam vos septennio prædicto per Nos concesso, durante hujusmodi indulto, ac desuper confectis literis prædictis libere, et licite uti posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Reservatio specialis.

§. 7. Volumus autem, et earumdem tenore præsentium ordinamus; ut ecclesiæ, in quibus personæ nominatæ hujusmodi vigore revocationum, aut collationum prædictarum, eosdem canonicatus, et præbendas obtinuerint, ob earum impedimentum legendo debitis non fraudentur obsequiis, aut cultus divinus in illis minuatur, et eædem personæ si illis ea hora, qua ipsa divina officia celebrabuntur, legendum

fuerit, tunc per idoneos substitutos inibi deservîri facere possint, et ita deserviendo pro residentibus, et inservientibus habeantur, ac distributiones quotidianas lucrentur, in omnibus, et per omnia perinde, ac si personaliter deservirent (diebus dominicis, et festis principalioribus, videlicet domini Nostri Jesu Christi, ac gloriosissimæ virginis Mariæ, et beatorum apostolorum, et in quorum honorem dedicatæ sunt ecclesiæ prædictæ, aliorumque sanctorum, quorum dies singulis iisdem ecclesiis solemnes, et celebres habentur exceptis, quibus eis non per substitutos, sed per se ipsos personaliter deservire teneantur) quodque hujusmodi canonicatus, et præbendæ personis ad profitendum in aliqua ex dictis universitatibus idoneis repertis, quæ jurejurando ad profitendi munus diligenter, ac immediate post canonicatus, et præbendæ adoptionem exercendum, se adstringant, dumtaxat, conferantur, illorumque singulis assignentur cathedræ in quibus actis legere possint, in ea facultate, quæ eis in actis earum nominationis hujusmodi per rectorem, decanos, et provisores supradictos destinatæ fuerint, ita ut si aliqua ex dictis personis per tres menses continuos, absque legitima causa a rectore, et provisoribus prædictis approbanda a legendo cessaverit, pœnam privationis canonicatus, et præbendæ per eam vigore nominationis prædictæ obtentorum alteri personæ idoneæ modo præmisso conferendorum, eo ipso absque ulla declaratione incurrat; cæterum eædem personæ prædictos canonicatus, et præbendas, non nisi in manibus Nostris, et pro tempore existentis Romani pontificis cum specifica mentione, quod illos vigore memoratæ nominationis consecuta fuerint nonnisi ad favorem personarum juxta statuta, et indulta dictæ universitatis Colonæ qualificatarum, et alias bonum testimonium a rectore, et provisoribus supradictis habentium resignare, aut alias dimittere ullatenus possint, alioquin canonicatus, et præbendæ hujusmodi vacent eo ipso, ita ut de illis per Sedem apostolicam dumtaxat disponi possit, ipsæque personæ sic nominatæ intra sex menses a die collationis, et provisionis, aut cujusvis alterius dispositionis de canonicatibus, et præbendis, ad quod illos nominari contigerit, sibi faciendam, ut præfertur, novas provisiones super illis a Sede prædicta impetrare, ac literas apostolicas desuper in totum expedire, ac jura cameræ apostolicæ, et alias propterea debita omnino persolvere teneantur, alioquin dictis sex mensibus elapsis, provisi eorumdem canonicatuum, præbendarum fructus interea suos non faciant, sed illi ad metropolitanam ecclesiam Coloniensem, ejusque capitulum pertineant, ac in commodum, et utilitatem ipsius metropolitanæ ecclesiæ applicari debeant. Canonicatus vero, et præbendæ hujusmodi vacare censeantur eo ipso, possintque per alios ab eadem Sede dumtaxat libere impetrari, et impetrantibus suffragetur, et competat vis executiva, ejusque robur, et effectus perinde, ac si canonicatus, et præbendæ prædicti per obitum apud Sedem præfatam vacavissent, et de illis sic per obitum vacantibus ab eadem Sede iisdem impetrantibus provisum fuisset.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum prædictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo, ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima sexta februarii millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo nono.

Dat. die 15 martii 1793 anno IX.

## CMXXXII.

Ecclesia parochialis terræ de Talamona Vallis Tellinæ Comensis diœcesis erigitur in archipresbyteralem, illiusque parochis pro tempore existentibus usum cappæ magnæ cum ferula conceditur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Dum insignem terræ de Talamona Vallis Tellinæ ditionis Rhetæ Comensis diœcesis dignitatem, ac singularis fidei constantiam, et devotionis affectum, quo dilecti filii conservatores, syndici, et populus ejusdem terræ se erga Nos, et hanc sanctam Sedem gerere comprobantur, pensamus, dignum arbitramur, illorum petitionibus, quæ ad parochialis ecclesiæ ejusdem terræ splendorem augendum, ipsiusque parochum, seu præpositum novis honoribus honestandum pertinere dignoscuntur, congruum impertiri suffragium, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt memorati conservatores, syndici, et populus, quod ecclesia parochialis prædicta, quæ nativitati beatæ Mariæ virginis jamdiu dicata existit, ab anno millesimo sexcentesimo vicesimo nono in collegiatam cum quatuor canonicis in cura animarum coadjutoribus, qui festivam residentiam choralem peragerent, erecta fuit; quodque anno millesimo sexcentesimo quarto in ea canonica erecta fuit quinta præbenda canonicalis cum onere inter cætera fungendi munere sacellani: ac parochi præpositi a dicto anno millesimo sexcentesimo vicesimo nono vicarii foranei munere semper functi sunt: quodque tresdecim aliae minores, et filiales ecclesiae eidem parochiali ecclesiæ subiiciuntur, congrua immo locupletissima supellectili dotata existit: terra vero prædicta satis populosa reperitur, in eaque mons Pietatis, ac plures confraternitates erectæ reperiuntur, unde inter cæteras terras, et loca dictæ Comensis diœcesis splendescere quodammodo compertum sit; quo propterea hujus parochialis, seu præposituralis ecclesiæ, quæ una in tota terra prædicta curam animarum gerit, dignitas augeatur, illi honorem tituli archipresbyteratus, illiusque pro tempore existentibus archipresbyteris nuncupandis usum cappæ magnæ laneæ, coloris violacei, et ferulæ per Nos concedi summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati auctoritate apostolica tenore præsentium parochialem, seu præposituralem ecclesiam prædictam in archipresbyteralem perpetuo erigimus, et instituimus, eique archipresbyteralis, et collegiatæ ecclesiæ titulum, et denominationem cum omnibus honoribus, juribus, prærogativis, ac decorationibus solitis, et consuetis, illiusque parocho, seu præposito, cæterisque suis successoribus pro tempore existentibus, ut archipresbyteri in omnibus, et singulis, ac quibuscumque scripturis, sessionibus, processionibus, congregationibus, conventibus, pompis, conciliis, cæterisque actibus publicis, et privatis ubilibet denominari, reputari, et censeri, ac cappa magna cum ferula in quibusvis pariter functionibus, et actibus publicis, et privatis tum in eadem ecclesia, tum in terra prædicta uti, ac gestare respective libere, ac licite possint, et valeant, ita tamen, ut ex honore hujusmodi nulla quoad jurisdictionem episcopi Comensis innovatio inducatur, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has præsentes literas, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia quantumvis justa, legitima, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissimæ, ac totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quan-

tumvis magno, et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili, individuamque mentionem, et expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, et facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ diœcesis Comensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta martii millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimonono.

## CMXXXIII.

Dat. die 15 martii 1793 anno XIX.

Confirmatio transactionis inter confraternitatem beatæ Mariæ de Populo civitatis Cesenatensis, et communitatem ejusdem civitatis, aliosque initæ super quadam hæreditate.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. Quoties a Nobis petitur, ut circa ea, quæ ad sedandas, compescendasque diuturnas, ac sumptuosas lites, ac controversias, quibus plerumque christiana charitas turbatur, apposite, ac maturo consilio disposita, ac conventa sunt, apostolicam Nostram auctoritatem interponamus, omnino Nos decet petentium desideriis congruum impertiri suffragium, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii offitiales, ac confratres confraternitatis beatæ virginis de Populo civitatis Nostræ Cæsenatensis, quod cum alias inter descendentes fœminas bonæ memoriæ capitanei Camilli Beccari, illarumque familias, et dilectos filios homines dictæ civitatis Caesenatensis ex una, et eamdem confraternitatem ex altera parte plures lites, et controversiæ exortæ sint, quæ nuperrime etiam in congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum disputatæ sunt, tandem die decima octava mensis decembris mox transacti anni 1792. per acta duorum notariorum Andreæ Pio, et Francisci Agostini lites, ac controversiæ omnes hujusmodi fuerunt diremptæ per stipulatam transactionem tenoris, qui sequitur.

In Dei Nomine. Amen.

Tenor transactionis.

§. 3. Anno a beatissimæ virginis partu millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, indictione decima, sanctissimo domino Nostro domino Pio sexto pontifice optimo maximo sedente; die vero decima octava decembris.

Lites subortae inter confraternitatem, et communitatem, et judicia lata a s. congregatione Concilii.

§. 4. Essendo fino dall'anno 1787. insorta lite fra questa venerabile confraternita della santissima vergine del Popolo, che si venera in questa chiesa catedrale di Cesena, l'illustrissima comunità per le povere zitelle della città medesima, e li nobili signori attinenti

della bona memoria signor capitan Camillo Beccari per le di loro nobili femine discendenti tanto per le doti da somministrarsi per il tempo arretrato nel quale si sarebbero dovute somministrare, quanto per quelle, che conferir si dovessero in avvenire, fu introdotta la causa nella sacra congregazione del Concilio, ivi rimessa dalla santità di Nostro Signore felicemente regnante sotto il titolo = Caesenatensis subsidiorum dotalium. = Tre furono i dubbj proposti alla stessa sacra congregazione sotto il dì ventinove novembre dell'anno mille settecento ottantotto. Il primo = An, et quando sit præstanda dos puellis descendentibus a Camillo Beccari; il secondo = An, quomodo, et quibus puellis descendentibus providendum sit quoad prætensum; = ed il terzo = An et quomodo sint præstandæ dotes puellis extraneis. Al primo dubbio la detta sacra congregazione prescrisse = Affirmative per societatem ad formam donationis anni millesimi sexcentesimi decimi septimi ex bonis etiam postea quaesitis. Al secondo = Affirmative, ut ad primum pro illis tantum, quæ debitis requisitis præditæ dotem petierunt tempore, quo adhuc erant innuptæ: ed al terzo = Affirmative ad formam donationis anni millesimi sexcentesimi decimi septimi.

Idem ut supra

§. 5. Non contenti i detti compriori della detta venerabile confraternita dei suddetti rescritti ritornarono nella detta sacra congregazione, dove si ripropose la causa per l'esame degli stessi tre dubbi, ma sotto l'unico dubbio = An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc. a cui fu aggiunto l'altro = An, et in qua summa, et a quo tempore debeantur fructus, et cujus favore sint consignandi in casu etc. e la sagra congregazione sotto li diecianove febraro del mille settecento novantuno al primo dubbio rescrisse = In decisis, et amplius; ed al nuovo secondo dubbio = Affirmative ab anno 1773. juxta liquidationem faciendam coram ordinario ad formam instructionis, in reliquis dilata; e sopra di ciò se ne ottenne la sentenza di monsignore illustrissimo, e reverendissimo A. C. Riganti essecutore degli enunciati rescritti.

Idem ut supra

§. 6. In seguito fu spedita la divisata istruzione a questo reverendissimo signor canonico Pietro Casali ora vicario capitolare di questa città, e diocesi con lettera della menzionata sagra congregazione in data li diecianove febrajo mille settecento novantuno, in cui gli si commetteva, che non si dovesse detrarre nel rendiconto la somma delli scudi trecento riservatisi dal donatore signor Pietro Giacomo Beccari *causa testandi*, come neppure li scudi novecento pagati alla famiglia del signor Camillo Beccari come dalla sovraccennata lettera dell' eminentissimo, e reverendissimo signor cardinal Pallotta prefetto, e di monsignor illustrissimo, e reverendissimo Gabrielli segretario della detta sacra congregazione, e come dai fogli d' istruzione annessi esistenti originalmenle in questa cancellaria vescovile, ai quali ec.

Deputatio peritorum, et judicium ab eisdem latum de statu controversiae.

§. 7. In esecuzione della suddetta commissione su la detta venerabile confraternita ricercata dal detto monsignor vicario capitolare per la deputazione per sua parte del perito calcolatore Locelli; avendo essa ricusato, egli ex officio deputato il signor Tobia Masani perito revisore calcolatore di tutti i luoghi pii di questa città, e per parte dell' illustrissima comunità per le zitelle estranee con che per parte delle nobili signore discendenti del quondam signor capitan Camillo Beccari fu deputato in loro perito il signor Luigi Caporali, i quali dopo un accurato esame sopra tutte e singole rendite dei quattro poderi Beccari situati in questo territorio di Cesena, il primo in villa di Bustio fondo Rigone in cinque pezze distinto, secondo i suoi lati; l'altro nella stessa villa fondo Olca di tornature dieciotto, e tavole trenta, il terzo nella medesima villa di Ruffio in quattro pezze secondo i suoi contermini, con le dodici tornature, e tavole cinquantatre annesse, e situato nella detta villa fondo Rigone, ed il quarto nella villa denominata ponte della Pietra di tavole nove, e tavola una, individuati nei citati fogli d' instruzione coi vocaboli di Rigone, Olca, Casanova, e Bulgarnò; ed avuta in considerazione la detrazione di tutti gli obblighi della solita messa quotidiana della musica, della officiatura del coro, della tassa de' chierici, e degli altri pesi, come onorario del ministro, ossia agente, dei concimi, de' maceri, di spese diverse, di rialtamenti delle due solite doti alle zitelle estranee, dei pesi camerali, ed altre importanti in tutto la somma di scudi cento settantasei, e bajocchi cinquattotto, fu residuata la rendita netta delli quattro poderi accennati pel corso di anni diciassette, cominciando dall' anno mil-

le settecento settantaquattro inclusive a tutto il mille settecento novanta parimenti inclusive in scudi settemila ottantacinque, bajocchi quarantotto, e denari uno, quali divisi in anni diecisette vengono a formare l'annua entrata libera in scudi quattrocento sedici, e bajocchi settantatrè. Ma siccome erano state comprese nelle spese passive le due doti, che si dicono date alle zitelle estranee di scudi trentasei, e bajocchi trentasei, e denari quattro, che non si dovevano comprendere, per rilevare il quantitativo da disporsi per la somministrazione delle doti massimamente qualora queste devonsi alle dette nobili donzelle discendenti dal detto signor capitan Camillo Beccari, così togliendosi questo errore, si viene a costituirne una rendita annuale pulita di scudi quattrocento cinquantatrè bajocchi nove, e denari quattro, come al documento segnato con asterisco * che viene consegnato a noi notari infrascritti, e che qui s' inserisce

Nova jura producta a confraternitate.

§. 8. Datasi fuori dalli detti periti calcolatori Masani, e Caporali la loro relazione, e perizia, e questa trasmessasi per mezzo del detto monsignor vicario capitolare alla suddetta sacra congregazione del Concilio, all' improviso fu per parte della suddetta confraternita portata in campo un altra donazione, che si diceva emanata, e fatta dallo stesso signor Giacomo Beccari sotto li venti marzo dell' anno mille cinquecento novantanove per rogito del notaro Francesco Maffei a favore dell' altare, e cappella della detta santissima Vergine del Popolo; e col presidio di questa donazione ritornò in sacra congregazione, richiedendo l'appellazione dai rescritti emanati, onde sotto il giorno ventuno aprile mille settecento novantadue propostosi il dubbio = An appellatio sit admittenda, seu potius reijcienda in casu etc. = sulla forza delle ragioni, e degli argomenti dedotti per parte di questa illustrissima comunità per le zitelle estranee, e per parte delle nobili donzelle discendenti dal detto signor capitano Camillo Beccari, con le quali fu addimostrata ad evidenza l' insussistenza della detta donazione del mille cinquecento novantanove; come rendè manifesto monsignor illustrissimo segretario nel suo ristretto, che fece alla detta piena sagra congregazione al §. Ex pluribus etc. piacque alla medesima di rescrivere = Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, idest appellationem non esse admittendam, sed reijciendam.

Amicorum officia interposita pro amicabili compositione.

§. 9. Altro dunque non rimaneva, che darsi una piena esecuzione alli suddetti rescritti, e alla consecutiva sentenza di monsignor A. C. ma frappostisi diversi signori per mediatori amichevoli per un onesto accomodamento fra la detta venerabile compagnia, l' illustrisstma comunità per le zitelle estranee, e li detti attinenti Beccari per le nobili donzelle da essi discendenti, dopo varj trattati avuti hinc inde, si venne dalle parti interessate alla estensione di alcuni capitoli di convenzione di accomodamento, e transazione e sono quegli stessi, che a noi notarj infrascritti vengono consegnati in forma legale, e che qui s' inseriscono marcati numero I.

Rationes hinc inde expensae.

§. 10. Questi furono maturatamente ponderati non solo fra le parti medesime, ma dippiù portati all' illustrissimo generale consiglio delli ventisette settembre mille settecento novantadue da cui vennero approvati, ed accettati, come da partito, di cui copia qui s' inserisce al numero II. e poscia con altro successivo partito qui parimenti unito segnato numero III. furono deputati per la stipolazione dell' opportuno istromento di accordo e transazione i nobili signori avvocato Domenico Carli, e Lodovico Venturelli.

Acceptatio conventionum.

§. 11. Passati indi li suddetti capitoli all' esame de' detti discendenti interessati, furono da ciascuno di essi tutti, e singoli accettati, approvati, e sottoscritti, come dal citato foglio numero I. lettera A. Sottoposti finalmente gli stessi individui capitoli all' esame, e considerazione del reverendissimo signor canonico primicero, e de' signori priori della detta venerabile confraternita in numero di quattordici, vennero da essi parimenti approvati, accettati, e sottoscritti come vedesi in calce del detto foglio numero I. lettera C. a riserva però fra i signori priori laici della detta compagnia delli nobili signori Vincenzo Maria Galeffi, e dottore Vincenzo Paggi, per aver questi sottoscritto lo stesso foglio come attinenti, ed interessati, e fra i signori priori ecclesiastici a riserva del reverendissimo signor canonico Bruno Danielli per essere deputato alla lite, e del sacerdote signor don Antonio Dugaria.

Executio pactorum conventorum.

§. 12. Dopo la rispettiva firmazione dei suddetti capitoli, desiderandosi di dare ai medesimi la loro formale

esecuzione, furono per parte dei signori compriori della detta venerabile confraternita deputati per la stipulazione dell'istromento il detto signor canonico primicero, e il molto reverendo signore arciprete don Carlo Bordi, e l'illustrissimo signor capitano Filippo Argentini priori, come dal foglio qui unito numero IV. e per parte tanto dell' illustrissima comunità per le povere zitelle estranee, quanto per parte dei medesimi signori interessati furono deputati li predetti nobili signori avvocato Domenico Carli, e Lodovico Venturelli, come al detto foglio numero III e all' altro numero V. similmente qui annesso.

Stipulatio publici instrumenti.

§. 13. Volendosi pertanto dalle medesime parti interessate hinc inde venire alla celebrazione dell' istromento suddetto di transazione, affine di terminare con esso ogni ulteriore litigio, e contrasto; costituiti perciò personalmente avanti del prelodato reverendissimo signor canonico Pietro Casali dell'una, e l'altra legge dottore, patrizio di questa città, protonotario apostolico, e per la sede vescovile vacante di questa città, e diocesi in spirituale, e temporale degnissimo vicario capitolare anche come capo della detta venerabile compagnia, tribunalmente sedente nell' infrascritto luogo di solita sua abitazione, e residenza il quale per l' interesse appartenente alla detta venerabile confraternita interpone, salvo il beneplacito apostolico da ottenersi come da capitoli, la sua licenza, approvazione, e decreto trout infra ec. li detti signori canonico Francesco della bona memoria signor dottore Gian Domenico Settembrini primicero, sig. arciprete don Carlo quondam signor Cristoforo Bordi, e signor cap. Filippo dal fu signor Giuseppe Argentini di questa città di Cesena, come priori deputati, ed eletti per parte della detta venerabile confraternita, e li prelodati nobili signor avvocato Domenico della bona memoria signor Giovanni Gaetano Carli, e Lodovico della chiara memoria signor avvocato Carlo Venturelli patrizj di questa città medesima come eletti e deputati da questo illustrissimo generale consiglio per parte delle povere zitelle estranee, non che dalli nobili signori attinenti Beccari, ed interessati nella suddetta dote tutti qui prasenti a noi cogniti ec. spontaneamente ed in ogni miglior modo ec., nei suddetti respettivi nomi, ac omni ec., e servendosi delle facoltà di rispettiva deputazione, ratificano, accettano, approvano, ed emologano, e ciascuno di essi nei nomi come sapra ratifica, accetta, approva, ed emologa in tutto, e per tutto, ed in ciascuna parte loro tutti e singoli i capitoli di amichevole composizione espressi nell' inserto foglio numero uno, e poi approvati, accettati, ratificati, ed omologati li vogliono avere, ed hanno in forma ec., dimodochè promettono, ed obbligano di averli sempre in ogni tempo rati, grati, e validi, nè mai contravenirli, contrastarli, impugnarli, o farli contro per qualsivoglia ragione, motivo, causa, pretesto, o quesito colore, ma anzi quelli semper, et quandocumque osservare, ed adempire, e vicendevolmente mantenersi etiam perpetuis futuris temporibus, anzi in caso di contravenzione promettono, ed obbligano di rilevarsi, ed antistarsi hinc inde da qualunque lite, molestia, danno, spesa, ed interesse, che una parte potesse quandocumque patire per colpa dell'altra, a motivo dell' inosservanza, o inadempimento, e non mantenimento delli capitoli, e di ciascuna parte di essi, tam litis ec., quam extra ec., ac non solum ec, sed et ec.

Executio prioris conventi capituli.

§. 14. Ed in esecuzione del primo capitolo li detti signori eletti, e deputati per parte della detta venerabile confraternita, ed in nome della medesima, colla protesta, che non intendono di obbligare loro stessi, beni, ed effetti, ma soltanto quelli della suddetta venerabile compagnia, promettono, ed obbligano di pagare, e che saranno effettivamente, e realmente pagate le nove doti alli signori eredi, e discendenti Beccari per le nove nobili signore zitelle attinenti, e già collocate, e queste nell' annua somma di scudi trecento settanta per ciascheduna di moneta corrente di paoli dieci Romani per ogni scudo: le prime quattro in pronti contanti dentro il prossimo mese di gennaro dell'entrante anno mille settecento novantatre, atteso il non essersi potuto stipolare prima di ora il presente instromento di transazione, liberamente, e rimossa qualunque eccezione e per le altre cinque, o corrispondere il loro respettivo fruttato alla ragione del cinque per cento, fintantochè detta compagnia si troverà al caso di dimettere un tal debito, ovvero di dare, assegnare, e cedere alli signori interessati in essa cinque doti arretrate tanti capitali fruttiferi alla detta ragione, quanto importerà il loro avere.

Idem quoad secundum.

§. 15. Quanto al secondo, gli stessi signori eletti, e deputati per parte della detta venerabile compagnia obbligano, e promettono in nome della medema sotto l'obbligazione, e speciale e generale ipoteca di tutti e singoli beni presenti e futuri di detta venerabile confraternita, e da essa in qualunque modo acquistati, etiam cum clausulis ad habend. ec., et const. ec. di pagare ogni anno in avvenire, cominciando dall'anno corrente mille settecento novantadue inclusive, o alle signore nobili attinenti, se ve ne sono, e non essendovi alle zitelle estranee la stessa somma di scudi trecento settanta di moneta suddetta, liberi da qualunque peso, aggravio, come meglio si dirà, affine essendovi qualche nobile donzella attinente di dargliela, e non essendovi, distribuirla alle zitelle estranee in tante doti di scudi venti di moneta corrente di paoli dieci a scudo per ciascheduna, da eleggersi però tali zitelle, e conferirsi tali doti more solito dalla detta venerabile confraternita. Che se per altro piacesse a Nostro Signore di accordare alla detta confraternita la facoltà di aumentare li detti scudi venti a somma maggiore per dette zitelle estranee, o di concederle le facoltà, in evento che vi fosse qualche povera, e civile zitella di aumentarla, si debbano tali aumenti fare dalla confraternita in quella somma che essa crederà conveniente in questi casi, senzachè le altre povere zitelle estranee possino contro dire, ed opporre per simili datati aumenti. Affine però che tali doti venghino pagate colle rendite dei beni, che gode la detta venerabile confraternita, si conviene, come vedesi espresso in detto secondo capitolo, che le medesime doti si debbano conferire, dispensare, e respettivamente dare, e consegnare dentro il mese di marzo di ogni anno, affinchè abbiasi il comodo di poterne esitare le entrate a convenienti prezzi. E per maggior sicurezza delle dette doti, e della loro fissata quantità rinunciano detti signori eletti, e deputati della predetta venerabile confraternita della santissima vergine del Popolo espressamente ad ogni caso fortuito, pensato, impensato, umano, divino, rimoto, e rimotissimo, ed a qualsivoglia altro infortunio, che minorasse le entrate dei quattro poderi suddetti; come pure a qualsivoglia altro infortunio titolo, ragione, o pretensione che militasse a favore della venerabile compagnia procedente da qualsivoglia causa, istromento, scrittura, documento, e segnatamente dall'indicata pretesa dotazione del detto signor Pietro Giacomo Beccari delli venti marzo mille cinquecento novantanove per rogito di Francesco Maffei, la quale vogliono si abbia perpetuis futuris temporibus per nulla, irrita, cassa, di niun valore, e come se mai fosse stata fatta, alias ad omnia damna, expensas, et interesse ec. tam litis ec., quam extra ec. dicta ec.

Idem quoad tertium, et quartum.

§. 16. Rispetto al terzo capitolo si conviene, che la venerabile compagnia non debba essere obbligata per le doti decorse delle zitelle estranee, ma soltanto per le doti future, come nel secondo, per non esservi d'esse le nominate, nè essersi richieste per lo passato tempore habili; e rapporto al quarto ciascuno delle suddette parti interessate nei nomi rispettivi come sopra rinunciano a qualunque controversia, e lite promossa come sopra, e promettono mai più suscitarne, ma sempre di stare alla presente transazione in ogni tempo; e quindi si liberano, ed assolvano hinc inde da tutte le spese fino a questa parte fatte, per le quali promettono di non molestarsi, ma anzi di rilevarsi hinc inde ec., e per rinunciate, e rispettivamente condonate le vogliono avere, ed hanno in forma ec., omni ec.

Idem quoad quintum.

§. 17. In quanto al cap. V. li suddetti signori eletti, e deputati per parte dell'illustrissimo generale consiglio, e delli signori attinenti per le zitelle nobili discendenti Beccari rinunciano a favore della detta venerabile confraternita a qualunque diritto, dominio, o disposizione sopra i beni della stessa venerabile compagnia, e perciò a qualsivoglia ragione ed azione, che le respettive zitelle avessero, o potessero avere per tutte le donazioni fatte dal detto signor Pietro Giacomo Beccari, riservando soltanto alle stesse respettive zitelle nobili ed estranee il libero dominio sopra le rendite tanto della detta eredità alla forma del detto capitolo V., non che di tutti li beni, e capitali in qualunque modo acquistati dalla detta venerabile compagnia, come in calce del detto foglio numero 1. lettera B., e tale rinuncia quanto alla proprietà dei beni medesimi intendono di fare, e fanno alla detta venerabile compagnia colle clausole ad habendum etc. et quidquid etc. et etiam constituti, et praecarii in forma etc., e promettono di averla perpetuamente valida, e sempre mantenerla con tutti li patti utili in forma etc. omni etc.

Idem quoad sextum.

§. 18. In esecuzione del sesto capitolo gli stessi signori eletti, e deputati per parte della suddetta venerabile confraternita accettando formalmente tutte le risoluzioni emanate dalla sacra congregazione del Concilio, e la successiva sentenza di monsignore A. C. Riganti promettono di non reclamare dalle medesime, ma averle sempre in considerazione per la loro stabilità, e fermezza, nè mai contradirvi, o contrafarvi, salvo però sempre quanto si dispone nella presente transazione, a maggiore validità della quale promettono di ricorrere a Nostro Signore, e procurare di ottenere dal medesimo a spese della detta compagnia un pontificio chirografo, col quale recare alle parti hinc inde una sicura, e stabile definizione delle insorte controversie tanto promosse, che si potessero in qualunque modo e tempo promuovere, et non solum etc. sed et omni etc.

Hinc inde remissum pro soliditate transactionis.

§. 19. E finalmente li detti deputati, ed eletti per parte dell' illustrissimo generale consiglio, e delli signori attinenti Beccari interessati come sopra in nome dei medesimi condonando alla stessa venerabile confraternita quel di più, che avrebbero potuto pretendere delli fissati come sopra scudi trecento settanta, il quale sarebbe stato a ragione di ciascun' anno in scudi ottantatrè, bajocchi nove, e denari quattro, che ragguagliati per le dette nove doti sarebbero scudi settecento quarantasette, e bajocchi settantacinque; ed inoltre condonando tutti i frutti, che avrebbero potuto pretendere saltem a die motæ litis per le doti non pagate, e che si dovranno pagare; ed abbuonando le varie partite di spese calcolate nella detta perizia, le quali non dovevano calcolarsi, ed abbuonarsi, che pure hanno avuto in considerazione, non ostante, che non dovessero averle, perchè hanno servito a diminuire le rendite oltre il dovere; e condonando finalmente la non fatta somministrazione delle doti alle povere zitelle estranee, le quali senza dubbio ammonterebbero ad una ragguardevolissima somma, contentandosi soltanto, che la prestazione, di queste doti fissata in detta somma annuale di scudi trecento settanta cominci per le doti avvenire dall' anno corrente mille settecento novantadue, vale a dire con le rendite di questo medesimo anno, come di sopra si è stabilito al capitolo secondo; e queste respettive condonazioni dichiarando di fare per quella venerazione, e divozione singolare, che professano alla sacrosanta immagine della santissima Vergine del Popolo principal protettrice di questa città, assolvono adesso per sempre per tali rispettivi capi la stessa venerabile confraternita, e promettono, che la medesima mai sarà in alcun tempo per ciò molestata, che anzi rilevata in forma etc. liberandola ed assolvendola per Aprilianam stipulationem, et subsequentem acceptilationem in forma etc. ac non solum etc. sed et omni etc.

Confirmatio stipulationis.

§. 20. Quæ omnia etc. alias etc. pro quibus supradicti reverendissimus dominus canonicus primicerius, ac priores venerabilis sodalitatis sanctissimæ Virginis de Populo, ut supra electi, et deputati præsentes etc. obligarunt dictum venerabile sodalitium, omnesque in eo successores, illiusque bona, ac jura omnia præsentia, et futura in ampliori forma reverendæ cameræ apostolicæ etc. dictique nobiles dd. advocatus Dominicus Carli, et Ludovicus Venturelli ut supra pariter deputati præsentes etc. nominibus de quibus etc. obligarunt nedum illustrissimam communitatem, ac illius bona, jura omnia, præsentia, et futura, verum etiam se ipsos, nec non personas omnium nobilium dd. interesse habentium in consequutione prædictæ dotis, eorumque respectivos hæredes successores, bona, et jura omnia pariter præsentia, et futura in eadem camerali forma etc. reten. etc. jurarun tque omnes tactis pectoribus, et literis respective ad nostrum etc. super quibus etc. rogatus notarius omni etc. Super quibus omnibus, et singulis dictus illustrissimus dominus vicarius capitularis suam auctoritatem, suumque decretum interposuit etc. supplendo etc. salvo tamen beneplacito apostolico, ut supra etc., et ita etc. omni etc.

Preces porrectae pro confirmatione transactionis.

§. 21. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo præinserta transactio firmius substisteret, et exactius exequeretur, reservatum fuerit beneplacitum apostolicum, ac interim fabrica basilicæ principis apostolorum de urbe aliquas excitaverit actiones ob inadimplementum legatorum piorum, de quibus in eadem transactione actum est; Nobis propterea memorati exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 22. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prose-

qui volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, præinsertam transactionem, et omnia in ea contenta quæcumque auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possent, penitus, et omnino supplemus, ac sanamus, salvis tamen semper prætensis juribus fabricæ basilicæ principis apostolorum de urbe.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 23. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis, per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 24. Non obstantibus quorumcumque, quatenus opus sit, testatorum ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa commutamus, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta martii millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo nono.

## CMXXXIV.

Dat. die 23 martii 1793 anno XIX.

**Dismembratio perpetua aliquarum decimarum spectantium ad sex commendas ordinis s. Jacobi de Spatha in territorio Peræ, et Comportæ Lisbonensis diœcesis, et reliquæ superextantis partis territorii prædicti ad dictum ordinem spectantis cum erectione ex illius bonis novem commendæ ejusdem ordinis, et unione regiæ domui de Infantato etc.**

Pius episcopus

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Romanorum pontificum sollicitudo erga inclytos Ecclesiæ primogenitos filios, qui sub diadematis honore, seu pretiosæ lampades oleo fidei jugiter plenæ in ea luxerunt æmula semper adeo fuit, ut quo ipsi præstantius de christiana republica se benemeritos obtulerint, solidisque virtutibus huic apostolicæ Sedi, cunctoque terrarum orbi apparuerint eo sanctius eosdem gratiis, et favoribus studuerint cumulare. Hujus vero tam sacræ æmulationis exempla cum Nos inter et carissimam in Christo filiam Nostram Mariam Franciscam Portugalliæ, et Algarbiorum reginam vere Nobis, et dictæ Sedi fidelitate conjunctam dudum renovari jam cœperint, ejusque fidei puritas, animarum zelum, divini cultus amor, ecclesiasticæ potestatis obsequium, cæteraque virtutum charismata, quarum Lusitaniæ regno, cujus tam vigil gubernacula tenet, præclara undique prostant oculis, ut catholicæ religioni eo charior reddatur in dies: Nos propterea, qui de hac tam forti, tam strenua dictæ ecclesiæ filia vehementer in Domino oblectamur vota omnia sua, deque familiæ, domusque suæ regiæ sublimitate, et splendore procurandis capta consilia, quæ satis recta, satis provida sunt, dum Nobis pro tempore deferuntur in Nostræ exauditionis sinum gratanter excipientes opem, et operam impendimus efficaces, ut suum denique optatum, benedicente Domino, sortiantur effectum.

Exponitur status decimarum quæ a commendis militaris ordinis sup

§. 2. Cum itaque ex insinuatione ipsius Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ Nobis postremo facta accepimus, quod militaris ordinis s. Jacobi

cti Jacobi exiguntur.

de Spatha, cujus prout aliorum militarium ordinum scilicet Domini Nostri Jesu Christi, et De Avis pro tempore existentes eorumdem Portugalliæ, et Algarbiorum reges fidelissimi ex concessione apostolica felicis recordationis Julii papæ secundi prædecessoris Nostri magni magistri, illorumque respective bonorum administratores existunt, et ipsa Maria Francisca regina ad præsens magna magistra, et administratrix esse prænoscitur dominio subjacet territorium Peræ, et Comportæ in Lisbonensi, seu alia regni Portugalliæ diœcesi consistens, in quo ea decimarum funda constituta reperiuntur, quæ ad sex distinctas primodicti ordinis commendas respective spectant, et pertinent, quarum tamen decimarum redditus, qui insimul annuam summam mille scutorum monetæ Romanæ non excedunt, unicuique ex dictis commendis non æqualiter dividuntur, ita ut una, quæ annuum redditum habet duorum millium, et quingentorum circiter scutorum dictæ monetæ non ultra summam quadraginta scutorum monetæ hujusmodi, et altera cujus annui redditus pinguiores existunt, scilicet quinque millium, et ultra scutorum monetæ similis non ultra summam quadringentorum scutorum monetæ paris pro quota decimarum hujusmodi respective percipiant, reliquæ vero ex prædictis sex commendis plus minusve respective decimis gaudeant, prout magis, vel minus terrena ipsa excoluntur.

Ratio dismembrationis terrarum ab dictis commendis, et respectivae unionis domui de Infantato.

§. 3. Proindeque prædicta Maria Francisca regina fidelissima considerans, quod modicitas decimarum hujusmodi quantitati terrenorum, ac territorii supradictorum extensioni minime respondent, cum major territorii prædicti portio cum maximo ejusdem primodicti ordinis, suique status detrimento inculta remaneat, atque perspectum habens, quod ex cultu terræ, atque illius progressu status felicitas insurgit, ex qua ipsa tenetur cura, et sollicitudine pro temporalium rerum prospero, felicique gubernio, præmissis occurrere volens, atque uno eodemque tempore nedum primodicti ordinis profectui, sed etiam regiæ suæ domus de Infantato nuncupatæ, quam semper honoribus, atque redditibus augere curavit decori, et amplitudini magis magisque prospicere intendens provido consilio duxit a prædictis respective commendis omnes supradictas decimas, earumque respective fonda, seu terras hujusmodi perpetuo esse dismembrandas, atque ex singulis dictorum fundorum, seu terrarum, et reliquæ superextantis partis territorii prædicti ad primodictum ordinem spectantis respective proventibus tam præsentibus, quam futuris novam primodicti ordinis sancti Jacobi de Spatha commendam erigendam, illamque sic erectam una cum omnibus, et singulis prædictis decimis, earumque respective fundis, seu terris, et reliqua superextante parte territorii hujusmodi patrimonio, ac domui de Infantato, etiam perpetuo uniendam, et incorparandam: ita ut dilectissimus in Christo filius Noster Joannes dictæ Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ natus Brasiliæ princeps, et infans, ejusque in dicta domo de infantato respective successores, juxta tamen infrascriptum successionis ordinem commendam sic noviter erigendam obtineant. Dilectis autem filiis modernis dictarum sex commendarum respective possessoribus ne ipsi ex abdicatis decimis antedictis ab eorum respective commendis per eos ad præsens respective obtentis nimium præsentiant incommodum, eadem Maria Francisca regina fidelissima eorum indemnitati respective consulere volens: eis, et eorum cuilibet, aut certam pecuniæ summam pro unica vice tantum exolvere, aut pensionem annuam super asse aliarum commendarum ad præsens vacantium constituere designaverit. Cumque, sicut etiam accepimus, præfata Maria Francisca regina fidelissima pro sua erga hanc sancti Patri cathedram reverentia, et devotione summopere desideret, ut hujusmodi per eam susceptæ dispositioni apostolicæ Sedis patrocinium accedat, atque auctoritas.

Votis reginae annuit pontifex decreta dismembratione, et unione juxta preces.

§. 4. Nos igitur, qui ipsius Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ assiduam, vigilemque operam tum in sanctæ Nostræ catholicæ ecclesiæ honoris incremento, tum in populorum sibi commissorum utilitate comparanda semper intentam summa animi Nostri exultatione haud satis commendare desistimus, cunctis ejus votis, ac petitionibus in præmissis favorabiliter annuere, ipsamque Mariam Franciscam reginam fidelissimam, et ejus regiam domum prædictam specialibus favoribus, et gratiis quantum cum Domino possumus prosequi volentes: motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine a prædictis sex commendis primodicti ordinis easdem decimas, illarumque respective funda, seu terras ipsorum modernorum earumdem sex commendarum possessorum respe-

ctive consensui, quatenus opus sit, apostolica auctoritate supplendo, eadem apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo dismembramus, dividimus, et separamus. Nec non ex singulis fundorum, seu terrarum hujusmodi, et reliquæ superextantis partis territorii prædicti ad primodictum ordinem, ut præfertur, spectantis redditus tam præsentibus, quam futuris novas ipsius primodicti ordinis sancti Jacobi de Spatha commendam ad Dei omnipotentis gloriam, ac divi Jacobi, illiusque ordinis prædicti honorem, et ornamentum dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo erigimus, et instituimus, illamque sic noviter erectam una cum omnibus, et singulis fundis, seu terris dictarum decimarum, et reliqua superextante parte territorii hujusmodi, omnibusque, et singulis juribus, et pertinentiis suis patrimonio, et domui de Infantato prædictæ dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus. Ita ut prædictus Joannes princeps, et infans dictam commendam sic noviter erectam obtineat usque dum prædictam domum de Infantato administraverit, et postquam ipse in regna successerit una cum domo prædicta etiam dicta commenda per Nos sic noviter erecta, et ut præfertur, unita ad suum secundogenitum transeat, sicque qui domum et statum de Infantato hujusmodi pro tempore administraverint, eamdem commendam per Nos sic noviter erectam, ac etiam, ut præfertur, unitam, absque ulla nova ei desuper facienda concessione pariter obtineat.

Providetur futuris rectoribus domus de Infantato.

§. 5. Et si dictus Joannes princeps, et infans nullum habuerit secundogenitum, tunc prædicta domus, et eadem commenda per Nos sic noviter erecta, ac etiam, ut præfertur, unita erunt in administratione donec aliquis sit secundogenitus regnantis, qui in domum, et commendam per Nos sic noviter erectam, ac etiam, ut præfertur, unitam hujusmodi succedat. Si autem secundogeniti obtinentes domum, et commendam per Nos sic noviter erectam, et unitam hujusmodi uxorem duxerint, ac filii legitimi, et naturales nati sint, successio in domum, et commendam per Nos sic noviter erectam, et unitam hujusmodi deferatur suis primogenitis; si vero descendentes legittimos non habeant, tunc succedant existentes filii secundogeniti lineæ regnantis in prædictam domum, ac commendam per Nos sic noviter erectam, ac etiam, ut præfertur, unitam hujusmodi, vel ipsa domus, et commenda sic erecta, et unita prædicta in administrationem erunt, donec aliqui proveniant filii secundogeniti, et in eventum, in quem domus de Infantato prædicta sit ad unicam fœminam redacta, tunc cum illa, ac in suo matrimonio erunt omnia observanda, quæ in constitutione quoad fœminam, quæ in regnum succedit præscribuntur, ut scilicet intra regni limites, et illi viro nubat, cujus favore status in curiam collecti dispensabunt, secus ab omni successionis jure in domum de Infantato, ac commendam sic noviter erectam, ac etiam, ut præfertur, unitam hujusmodi decidat, prout jus ad regnum amitteret fœmina, quæ juxta leges easdem non nupsisset, ac demum si soboles dumtaxat illegittima erit, tunc domus de Infantato hujusmodi regrediatur ad domum regnantem dum illegitimi incapaces semper erunt in domum, ac commendam per Nos sic noviter erectam, ac etiam, ut præfertur, unitam prædictam succedere, prout ex constitutione in regna succedere non possunt; ac præterea iis, qui juxta leges, et dispositiones a prædicta Maria Francisca regina fidelissima ad successionem in domum de Infantato, ac patrimonium illi constitutum, vel illius administrationem, ut præfertur, præscriptas ad domum hujusmodi venerint, vel illius administrationem pro tempore obtinuerint, ut ipsi semper, et quandocumque fructus quoque, redditus, et proventus dictæ commendæ per Nos sic noviter erectæ, ac etiam, ut præfertur unitæ percipere, exigere, levare, ac in suos usus, et utilitatem, vel alias juxta easdem conditiones, et dispositiones, ut præfertur, præscriptas convertere, omnibusque suis annexis, et connexis juribus, prærogativis, præeminentiis, gratiis, et indultis, quibus alii milites primodicti ordinis sancti Jacobi de Spatha commendas ejusdem primodicti ordinis obtinentes ad præsens utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum pari modo, et absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, et gaudere possint, et valeant in modum, ut in ipso temporis articulo, quo in administrationem, seu possessionem patrimonii, ac domus de Infantato hujusmodi venient, ipso jure, et absque nova eis desuper facienda concessione sint, et habeantur dictæ commendæ per Nos sic noviter erectæ, ac etiam, ut præfertur, unitæ admi-

nistratores; quin ipsi ab ea, quæ circa qualitatem, professionem, aliaque requisita fratribus militibus, ac commendatariis primodicti ordinis sancti Jacobi de Spatha a statutis, seu stabilimentis, ac ordinationibus capitularibus primodicti ordinis apostolica auctoritate prædicta confirmatis præscripta, et ordinata teneantur. Quinimo etiam cum administratione hujusmodi præceptorias, seu commendas, ac dignitates aliarum militiarum, sive ordinum equestrium consequi, et recipere etiam libere, et licite possint, et valeant eadem apostolica auctoritate pariter perpetuo concedimus, et indulgemus.

Indemnitates concessæ modernis possessoribus dictarum commendarum.

§. 6. Ac demum eidem Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ, ut ipsa prædictis modernis possessoribus dictarum sex commendarum primodicti ordinis, et eorum cuilibet in eorum, et cujuslibet ipsorum indemnitatem hujusmodi aut certam pecuniæ summam pro unica vice tantum subministrare, aut pensionem annuam in summa ab eadem Maria Francisca regina fidelissima ad ejus libitum designandam super asse aliarum commendarum ad præsens vacantium assignare, eisdemque modernis possessoribus dictarum sex commendarum primodicti ordinis, ut ipsi, et eorum quilibet aut prædictam summam eis pro unica vice tantum, ut præfertur, subministrandam, aut pensionem hujusmodi prout eidem Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ magis libuerit, etiam, ut præfertur, assignandam absque ulla obligatione in eventum assignationis pensionum prædictarum literas apostolicas desuper expediendi, percipere, exigere, levare, ac in eorum respective usus, et utilitatem convertere libere possit, et valeat, ac respective licite possint, et valeant simili apostolica auctoritate respective facultatem concedimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes præsentes literas semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima etiam ex eo, quod causæ propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis, vitio, aut intentionis Nostræ, aut quopiam quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliaque ratione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, legittima, juridica, pia, privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, et extra illud posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi in eis, et de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse; sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice-

legatos, dictæque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, ac privilegio fungentes, vel honore, et præeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ prædictæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, primodictique ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis primodicto ordini, illiusque militibus, vel quibusvis aliis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concessis, et concedendis; quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, seu quælibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, etiam inserti forent eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime ad præmissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Postremo autem cupientes, ut præmissa omnia sic per Nos disposita suum plene, et absque ullo obice sortiantur effectum, hinc dilectum quoque filium Nostrum, et dictæ Sedis apostolicæ nuncium in civitate Lisboniensi commorantem in exequutorem earumdem præsentium Nostrarum literarum dicta apostolica auctoritate deputamus, eique insuper facultatem, ut ipse super quacumque oppositione in actu illarum exequutionis hujusmodi quomodolibet oritura, servatis tamen, quæ fuerint de jure servanda, etiam definitive pronunciare, libere, et licite possit apostolica auctoritate prædicta similiter concedimus, et impertimur.

Sanctio poenalis. §. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ dismembrationis, divisionis, separationis, erectionis, institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, concessionis, indulti, utriusque facultatis impartitionis, decreti, derogationis, et deputationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, decimo kalendas aprilis, pontificatus Nostri anno decimo nono.

---

## CMXXXV.

Dat. die 9 aprilis 1793 anno XIX.

**Confirmatio instrumenti inter monachos congregationis Olivetanæ monasterii s. Mariæ Novæ de urbe ex una, et Joannem Pierantoni ex altera partibus stipulati etc.**

**Pius PP. VI.**

*Ad futuram rei memoriam.*

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii abbas, et monachi monasterii sanctæ Mariæ Novæ almæ Nostræ urbis ordinis sancti Benedicti congregationis Olivetanæ, quod nuper de consensu abbatis generalis ordinis, et congregationis prædictorum contractum venditionis annui canonis ad monasterium prædictum spectantes cum dilecto itidem filio Joanne Pierantoni sub certis pactis, et conditionibus sub reservatione beneplaciti apostolici sub die decima quinta martii currentis anni millesimi septingentesimi nonagesimi tertii per acta Francisci Fiametta notarii capitolini stipularunt, prout ex

instrumenti stipulati contractus, tenoris qui sequitur = In nomine Domini. Amen: Præsenti publico venditionis instrumento cunctis ubique pateat evidenter, ac notum sit, quod anno ab ejusdem Domini Nostri Jesu Christi salutifera nativitate millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, indictione Romana undecima, die vero decima quinta mensis martii, pontificatus autem sanctissimi in eodem Christo patris, et Domini Nostri Domini divina providentia Pii pp. VI. anno XIX.

Tenor initae transactionis. §. 2. Si determinò negli anni poco anzi scorsi l'illustrissimo signor Giovanni Pierantonj, pubblico scultore in questa metropoli, anche per secondare i graziosi sovrani impulsi, d'intraprendere una decorosa fabbrica, ad ornato non meno della città, che a privato suo comodo. Fissò egli le sue vedute in una situazione quanto livellata ai divisati oggetti, tanto maggiormente dispendiosa; poichè il fondo trovavasi gravato da canone, e sub-canone in favore del padrone diretto, e del di lui enfiteuta, fino alla rispettabile intera somma di annui scudi trentasei, e bajocchi venti, ed inoltre sulla superficie erano costruite alcune umili, e mal fornite case, spettanti al dominio utile di varj possessori, delle quali niun calcolo poteva farsi per il nuovo architettato edifizio, fuori dell'uso degli antichi, e ben logori cementi. Sorgevano codeste case nella stessa linea contigua, parte cioè all'adjacenza alla strada del corso, e quindi rivoltando mettevano in parte sulla via, una volta denominata borgo del Pidocchio, ed ora chiamata vicolo della Fontanella. Tutte poi erano limitrofe in massima parte alle fabbriche, siti, e giardino del convento de' religiosi Carmelitani di santa Maria di monte Santo, e tutte si racchiudevano in quel comprensorio (volgarmente detto isola di Monte Santo) che in ragione di proprietà, e diretto dominio appartiene al venerabile monistero, e monaci Olivetani di santa Maria Nuova di quest'alma città, e che in ragione di perpetua enfiteusi con le facoltà di subenfiteuticare fu già trasferito anticamente negli autori dell'odierno illustrissimo signore cavalier Annibale Moroni. Piacque dunque al nominato signor Giovanni Pierantonj di acquistare a pronti contanti l'enunciate tre case dai respettivi subenfiteuti, che le godevano: l'una cioè, che faceva cantone nella suddetta strada del Corso, e nel vicolo della Fontanella dal signor Giuseppe Giani per il prezzo così fissato di scudi mille cento cinquanta, siccome costa da istromento dallo Strelich notaro capitolino sotto il dì venticinque dicembre del mille settecento novanta al quale ec. L'altra (comprensiva del pianterreno, su cui erano superedificati due appartamenti del signor Azzoni, come qui appresso) dalli signori cavalier Matteo, e Valerio Pellegrini al valore peritato di scudi duemila seicento quattordici e bajocchi dieci, ed a forma dell'istromento stipolato li ventisei aprile dello stesso anno mille settecento novanta negli atti del Guerrini notaro A. C., al quale ec. La terza finalmente aderente alle suddette (formata da due appartamenti superiori, che poggiavano al pianterreno di essi signori Pellegrini) dal signor Francesco Saverio Azzoni per lo stimato prezzo di scudi quattrocento sessantasei, secondo l'istromento stipolato per gli atti del suddetto Guerrini li venticinque settembre dello stesso anno mille settecento novanta, al quale ec. Il passaggio perpetuo delle surriferite tre case nella persona del menzionato signor Pierantonj, e suoi ec. fu da poi solennemente lodato ed autorizzato dal venerabile monastero di santa Maria Nuova, padron diretto, e dal signor cavalier Annibale Moroni primario enfiteuta, mediante ancora il pagamento dei laudemj sborsati dal signor Pierantonj in proporzione de' suddetti tre acquisti nella intera convenuta quantità di scudi ottantaquattro e bajocchi sessanta giusta, che più diffusamente risulta dal tenore del successivo istromento di ricognizione in dominum per gli atti del Gaudenzi notaro dell'eminentissimo vicario sotto li undici aprile mille settecento novantuno. E quivi fu, che dallo stesso signor Pierantonj in sequela della compra fatta di esse tre case venne assunta ben'anche l'obbligazione, da lui esattamente adempita, di pagare annualmente a titolo di canone, o subcanone la somma di scudi trentasei e bajocchi venti nella maniera qui d'appresso; cioè per la rata di annui scudi diciotto al venerabile monistero di santa Maria Nuova in nome, e per conto del suddetto signor cavalier Moroni, e suoi ec., a discarico di quel canone, che dalla medesima casa Moroni deve corrispondersi al suddivisato venerabile monistero in coerenza della prima investitura, ed in riflesso della proprietà dell'intero fondo enfiteutico, ossia comprensorio dell'isola detta di Monte Santo: l'altra rata poi di scudi diciotto,

e bajocchi venti adequante la integrale quantità di scudi trentasei e bajocchi venti, promise il medesimo sig. Pierantonj di sborsare annualmente all' enunciato sig. cavalier Moroni, e suoi ec., ed a privato suo vantaggio, come effetto della facoltà di subenfiteuticare, che si suppone ridotta all'atto per istromento rogato li tredici marzo mille cinquecento ottantanove da Francesco Ivvio notaro capitolino. Sull' area e suolo di coteste tre sopra riferite case, che furono già interamente demolite dal più volte detto sig. Giovanni Pierantonj, cimentò egli le forze del proprio denaro, elevando con elegante simitria una fabbrica di varj appartamenti con tutti quegli annessi, membri, pertinenze, e pianterreni, quali in oggi formano ben anche l'importante concerto del suo studio di scultura. Il quantitativo della suddetta estensione, e siti, già passati al dominio utile del sig. Pierantonj in vigore degli anzi citati istromenti, e dove si vede innalzata la nuova fabbrica con le sue pertinenze, ed annessi, ascende in globo a canne Romane cento cinquantaquattro e palmi dieci, a forma della specifica delineazione, descrizione, e misura dell' area di esse tre case già comprate dal sig. Pierantonj, e designate con i colori giallo, rosaceo, e di carne sotto la lettera A. B. C. nella pianta concordemente approvata dalle parti, che si consegna a me notaro per inserirla nel presente istromento ec. D'onde ancora si ravvisano i confinanti con l'anzidetta area, e sito indicato di canne cento cinquantaquattro, e palmi dieci, vale a dire da un lato esteriore, e dal prospetto la via del corso, dall' altro lato esterno il vicolo della Fontanella, da un altro lato interno il suolo, e sito in detta mappa colorito di fuligine, e marcato con la lettera D., ove sorgeva una casetta venduta al suddetto sig. Pierantonj con beneplacito apostolico dai padri Carmelitani di Monte Santo liberamente, e senza verun peso di canone, o sub-canone a chicchesia, come da istromento rogato li ventidue giugno dell' anno prossimo passato mille settecento novantadue per gli atti del Bassetti notaro A. C. E dagli altri lati interni il sito, giardino, e fabbriche indicati nella medesima pianta con colore oscuro sotto le lettere GG., di pertinenza del convento di essi religiosi di Monte Santo. Dopo essersi dal medesimo sig. Pierantonj con notabile dispendio ormai ridotto alla sua perfezione il materiale di codesta opera, rivolse egli le sue provide mire alla tranquillità degli eredi suoi, e loro successori, ad oggetto di trasmettergli non meno l' edifizio, che il fondo liberi, ed esenti da quella servitù di canone, che suol essere turbativa dei possessori, e che bene spesso produce consequenze di litigj, e di amare controversie. Diresse perciò sulle prime le ossequiose sue istanze al padron diretto dell'accennato fondo, cioè al reverendissimo padre abbate, ed altri rispettabili individui che compongono la famiglia, e definitorio del venerabile monistero di santa Maria Nuova di questa metropoli, implorando in genere, che volessero alienare a suo favore la proprietà, e dominio diretto del comprensorio, ed isola di Monte Santo, mediante la vendita di quell'annuo canone di scudi dieciotto, che il sig. Pierantonj si assunse di pagare perpetuamente al suddetto venerabile monastero a nome, e vece del sig. cavalier Annibale Moroni e suoi ec. in contemplazione della originaria investitura, ed in ricognizione del dominio diretto sopra l'accennato intero circondario. Ma li lodati reverendissimi monaci non istimarono di condiscendere al trattato in codesta ampiezza, e ristrinsero il loro assenso al trattato per l'alienazione di essa proprietà, e dominio diretto limitatamente a quel sito, ed area di canne Romane cento cinquantaquattro, palmi dieci, che viene indicata dalla qui annessa mappa sotto le lettere A. B. C. e che in parte confina con altro accennato sito di canne Romane ventuno, e palmi trentacinque sotto la lettera D. acquistato come sopra liberamente dal suddetto sig. Pierantonj.

Pacta conventa.

§. 3. Premessa questa generica idea si passò alla specifica delle reciproche condizioni, modi, dichiarazioni, e riserve concentriche alla realizzazione dell'intavolato contratto, e dopo una ben matura discussione delle cose, anche mediante varj congressi in voce fra le parti, coll'opera di benevolo mediatore il tutto fu conciliato, come segue, cioè. Primo, che il venerabile monistero, e reverendissimi monaci Olivetani di santa Maria Nuova dovessero irrevocabilmente, ed abdicativamente alienare a favore del nominato signor Giovanni Pierantonj la proprietà e dominio diretto in profondità, latitudine, e superficie con qualunque interna pertinenza, o cosa ivi contenuta, e racchiusa di quell'area, ed estensione soltanto, ove erano situate le sovraccennate tre demolite case, e loro pianterreni, membri, appartenen-

ze, usi, adjacenze, commodità, annessi, e connessi per tanta quantà e tutta insieme, ed unitamente nella sua integrità di canne Romane cento cinquantaquattro, e palmi dieci come sopra confinata, e compresa entro i colori giallo, rosaceo, e di carne sotto le lettere A B. C. nella suddetta pianta a me consegnata per inserirla ec. = Secondo che inesivamente al cap. primo avessero a cedersi dal venerabile monistero, e monaci in beneficio del menzionato signor Pierantonj, e suoi ec. tutte e singole ragioni, ed azioni ec. niuna affatto eccettuatane, nell' ampiezza, e totalità, in cui ora ad esso competono, e possano competere sul detto suolo, ed area in profondità, latitudine, e superficie: onde il medesimo signor Giovanni Pierantonj compratore, e suoi ec. possano liberamente, ed indipendentemente dallo stesso venerabile monistero esercitarvi ogni ragione di proprietà, e dominio diretto, ed altresì goderne di tutti gli effetti, appendici, e conseguenza, anche per farsi riconoscere in dominum dalla famiglia Moroni perpetua enfiteuta, e suoi ec. Ed anche per surrogare il proprio nome in vece, e luogo di quello da cancellarsi del venerabile monistero nelle tre iscrizioni lapidarie, che si veggono al di fuori delle pareti del nuovo corpo di casa, spettante già in ragione di subenfiteusi al dominio utile dello stesso signor Pierantonj = Terzo che similmente in conseguenza di quanto sopra dovesse perpetuamente promettersi dal venerabile monistero, e monaci al nominato signor Pierantonj, e suoi ec. ogni, e qualunque evizione generale, e particolare, de jure, e de fatto rapporto alla suddivisata estensione di canne Romane cento cinquantaquattro, e palmi dieci, e la liberazione da qualsivoglia molestia tanto in giudizio, che fuori ad ogni semplice richiesta, ed interpellazione, che ne venga fatta, diversamente a tutti i danni, interessi, e spese giudiziali, e stragiudiziali, rimossa ogni eccezzione, perchè così ec. e non altrimenti ec. e rispettivamente stipolarsi altra obbligazione, e patto connaturale all'indole del contratto, e soliti in consimili istromenti. Quarto che ancora avesse a promettersi dallo stesso venerabile monistero, e monaci di somministrare entro lo spazio di mesi sei dal giorno della esecuzione del contratto alla persona, che verrà a tale oggetto designata dal suddetto signor Giovanni Pierantonj, le notizie opportune, ed analoghe alla proprietà, e dominio diretto dell'accennato fondo di canne Romane cento cinquantaquattro, e palmi dieci, dandogli pure il comodo di estrarre copia di esse notizie, e documenti dai libri dell'archivio monastico coll' assistenza però di alcuno de' reverendissimi monaci perchè così ec. Quinto che all'opposto, ed in correspettività l'illustrissimo signor Giovanni Pierantonj in complesso, e per modum unius, e pro omni, et toto ec. e non altrimenti ec. perchè così ec. in nome di prezzo dell'intero acquisto, in qualsivoglia prospetto, e specifica relazione voglia esso considerarsi dovesse sborsare al venerabile monastero, e monaci Olivetani di santa Maria Nuova, o chi per essi, mediante ordine da trarsi sul deposito corrispondente in questo sagro Monte di Pietà la somma, e quantità di scudi mille di moneta Romana; con la legge da esprimersi in detto ordine, che la stessa somma nell'atto dell' esigenza debba rilasciarsi contestualmente depositata in credito dal suddetto venerabile monistero, e non possa amoversi, se non ad effetto d'investirsi senza cura, e pericolo, e senza obbligo di manutenzione del riferito signor Pierantonj, e suoi ec. in tanti luoghi de' monti camerali, e non vacabili di erezioni s. Pietro cantanti in proprietà, e frutto in faccia del suddetto venerabile monistero, ovvero in censi con luoghi pii, o comunità dello stato Pontificio, da soggettarsi qualunque dei detti investimenti contestualmente, e specialmente, purchè la specialità non deroghi alla generalità, come in appresso, e non altrimenti ec. al vincolo di perpetua evizione a favore del detto signor Giovanni Pierantonj, e suoi ec. per l' acquisto suddetto: e tanto nelle patenti di detti luoghi di monti, quanto nell'istromenti di censi abbia a farsi menzione, e non altrimenti ec. della provenienza del denaro del prezzo di tale alienazione, con individuarsene ivi il giorno, ed anno, ed il notaro, da cui sia stipolata, ed il beneplacito apostolico, di cui appresso ec. E lo stesso debba perpetuamente osservarsi tutte le volte, che venissero restituite le sorti principali di detti censi, per doverne fare i nuovi investimenti in tutto, e per tutto, come sopra = Sesto. E siccome da ambedue le parti fu espressamente dichiarato perchè così ec. e non altrimenti ec. che al venerabile monistero di santa Maria Nuova dovessero rimanere ferme, ed intatte, e nel loro pieno vigore, ed operazione, tali quali sono però, e lungi da ogni no-

vazione, le ragioni di proprietà, e dominio diretto nel rimanente dell' isola di Monte Santo, e respettive fabbriche, o siti, che la compongono; perciò il suddetto signor Pierantonj dovesse simultaneamente consegnare a totale discarico al venerabile monistero, e monaci di santa Maria Nuova un luogo di monte s. Pietro cantante la proprietà in faccia al signor Giovanni Pierantonj, e suoi ec. ma con la invariabile riserva dell'annuo fruttato a favore del medemo venerabile monistero, e con l'espressione nelle lettere patenti, che lo stesso fruttato si rilascia al medemo a titolo di annuo canone dovuto dal signor cavalier Annibale Moroni, e suoi ec. per la investitura del rimanente del comprensorio dell'isola di Monte Santo: eccettuata sempre l' area di canne cento cinquantaquattro, e palmi dieci sulla quale deve cadere l'alienazione totale, ed abdicativa a favore del signor Pierantonj, e suoi ec. e su cui il venerabile monistero abbia ad intendersi interamente spogliato di ogni dominio diretto, e proprietà come sopra; in guisa che lo stesso fondo di canne cento cinquantaquattro, e palmi dieci rimanga affatto immune, ed esente da qualunque sequela mediata, ed immediata dell' esercizio del dominio diretto del lodato venerabile monistero sul restante dell' isola, o sulli singolari residuali membri, e parti da cui viene la stessa formata, ed in analogia di tutto ciò dall' anzidetto signor Pierantonj acquirente, e suoi ec. non debba mai, e poi mai risentirsi sopra l' accennato fondo per qualunque capo, causa, e titolo, alcuna benchè menoma conseguenza, o appendice, o molestia, o ritorsione, o ripercussione dal detto esercizio di dominio diretto, che resta vegliante, ed attivo nel medemo venerabile monistero sopra il restante circondario, altrimenti a tutti i danni, interessi, e spese giudiziali, e stragiudiziali, perchè così ec. e non altrimenti ec. = Settimo. Che il signor Giovanni Pierantonj, e suoi ec. compatibilmente alla natura del contratto, di cui parlasi, avesse ad obbligarsi, come successore del venerabile monistero di osservare per quanta è la estensione di detto sito di canne cento cinquantaquattro e palmi dieci le convenzioni, e contratti antecedentemente stipolati tra il monistero medesimo, e l'illustrissima casa Moroni enfiteuta = Ottavo. Che lo stesso signor Pierantonj dovesse riportare a tutte sue spese, e carico il beneplacito apostolico, sotto la riserva del quale, e non altrimenti ec. fu intavolato il contratto, di cui sopra. Ed a tale effetto i reverendissimi monaci avessero a costituire il menzionato signor Pierantonj procuratore irrevocabile, tamquam in rem propriam, per rappresentare alla Santità di nostro signore papa Pio Sesto felicemente regnante l'utilità evidente, cui va incontro il loro venerabile monistero nella realizzazione di esso contratto, e per implorarne in conseguenza entro lo spazio di tre mesi la pontificia speciale ratifica. Nono. Che frattanto avesse a stipolarsi fra le parti sopra le suddette cose pubblico, e giurato istromento, da ottenere il suo plenario effetto, ed esecuzione al momento, e giorno stesso, in cui venga esibito negli atti miei dal signor Giovanni Pierantonj il documento autografo del suddetto beneplacito apostolico, e contemporaneamente consegnati ai dette reverendissimi monaci, o chi per essi tanto il suddetto ordine originale di scudi mille, da rilasciarsene copia collazionata negli stessi atti miei, quanto la patente del luogo di monte s. Pietro, come sopra, da rilasciarsene simile copia collazionata in detti miei atti: de' quali ordine, e luogo di monte dovrà farsene dai medesimi reverendissimi monaci, o chi per essi semplice ricevuta al più volte detto signor Pierantonj, da esibirsi parimente negli atti miei.

*Utilia obtenta a monachis in sequelam initæ concordiae.*

§. 4. Nella conciliazione delle cose a termini di anzi riferiti, viddero intimamente i reverendissimi monaci Olivetani, a qual grado eminente giugnesse il vantaggio perenne del loro venerabile monistero nella effettuazione di codesto ardito contratto. Poichè oltre averne analizata la utilità in vari altri prospetti, ed oltre l' aver essi all' istante ritrovato entro l'importo così concertato dell'alienazione un lucro, che gli si era procacciato dall'opera, e fatto proprio dello stesso signor Pierantonj, mediante la rinnovazione della superficie, tanto maggiormente aumentata nel valore, e sostanzialmente migliorata dall'antico stato depresso, e meschino, in cui giacevano l'enunciate case demolite; ne rimarcarono da poi la palmare utilità alla ponderazione ancora di due ben sodi, ed assorbenti riflessi, cioè l'uno daechè il venerabile monistero in vece d'incassare come per lo avanti annui scudi dieciotto soltanto a titolo di canone, ne assicurava anzi in ogni anno circa trenta, mediante la spedita esigenza del fruttato de' luoghi di monti indicati, e più ancora nel caso che li suddetti

investimenti si facessero in censi come sopra: quale fruttato gli somministrava fin d'ora un esuberante compenso a quegli eventuali, e forse rimoti appendici di dominio diretto, cui potesse andare incontro nella circolazione degli anni. Secondo (che egli è sostanzialissimo) conseguivasi in tal forma dallo stesso monistero non solamente il capitale del tenue canone, che in ragione di giusta proporzione all'originaria investitura gravarebbe l'area, ed il suolo delle canne cento cinquantaquattro, e palmi dieci di cui trattasi; ma di più ottenevasi un capitale molto maggiore, e che si approssimava quasi al valore del canone dell' intera isola di Monte Santo. E nulladimeno rimanevano esercibili a di lui vantaggio, e nel suo vigore, ed operazione, tali, quali sono gli effetti lucrosi, e proficui della proprietà sul rimanente dell'isola.

Stipulatio publici instrumenti super initis conventionibus.

§. 5. Volendosi pertanto univocamente dalle parti ridurre a pubblico, e solenne istromento quanto fra le medesime di buona fede fu convenuto, e concordato, perchè la verità sempre, ed in ogni tempo apparisca; quindi è che avanti di me notaro, e testimonj infrascritti presenti, e personalmente costituiti li reverendissimi padri lettor teologo don Michele Augusti, e padre don Placido Zaramellini cellerario, ambedue monaci olivetani del venerabile monistero di santa Maria Nuova di quest'alma città, come procuratori specialmente deputati dal reverendissimo padre abbate; e dagli altri reverendissimi monaci olivetani di detto venerabile monistero nel capitolo tenuto sotto il dì d' oggi corrente; la di cui fede unitamente alla sottoscrizione di detti reverendissimi monaci in valido numero congregati, resta apposta in calce della presente minuta, che a me notaro si consegna per inserirla nel presente istromento del tenore ec., e che asserirono tacto pectore more sacerdotali ec. di procedere a tale atto con la licenza ancora, e pieno consenso del reverendissimo padre don Benedetto Gazzali abbate di Monte Oliveto, odierno generale del loro inclito ordine in virtù di lettera di approvazione dal detto reverendissimo padre abbate generale scritta, e presso detti reverendissimi monaci esistente, a me notaro cogniti, da una parte: e l' illustrissimo signor Giovanni Pierantonj figlio della bona memoria Pietro Romano a me notaro parimenti cognito dall' altra; affermando tutte, e singole cose di sopra espresse, e narrate, essere state, ed essere vere, e verissime; e quelle come tali ratificando, emologando, ed approvando ec. In esecuzione di esse, di loro spontanea, e deliberata volontà, ed in ogni altro miglior modo ec.

Reservatio beneplaciti apostolici.

§. 6. Premessa da ambe le parti la espressa riserva, che s' intende ripetuta nel mezzo, e fine della presente stipolazione ec: del beneplacito della Sede apostolica si obbliga in primo luogo il nominato signor Giovanni Pierantonj di riportare il medesimo a tutte sue spese, e carico entro il corso di mesi tre, da computarsi da oggi; ed a tal'effetto dalli suddetti reverendissimi padri lettor Augusti, e padri Zaramellini cellerario procuratori suddetti si costituisce, e deputa in speciale legittimo, ed irrevocabile procuratore di detto venerabile monastero, e monaci a tale atto il divisato signor Giovanni Pierantonj, con tutte le facoltà opportune, e con la clausola alter ego ec. per implorare dalla Santità di Nostro Signore felicemente regnante in nome di esso venerabile monistero, l'autorizzazione, e rivalidazione del presente contratto, la cui epoca, ed esecuzione promettono li contraenti sotto le stesse obbligazioni, e vincoli d' inviolabilità, di cui appresso nel fine del presente istromento ec. che abbia ad incominciare e s' intenda realmente incominciata al momento, e giorno stesso, in cui dal nominato signor Pierantonj verranno esibiti negli atti miei il documento originale, comprovante la ratiabizione, ed assenso apostolico al presente contratto; ed inoltre la semplice ricevuta delli detti reverendissimi padri Augusti, e Zaramellini procuratori suddetti d'onde apparisca essere stati loro consegnati dal suddetto sig. Pierantonj gli enunciati ordine originale di scudi mille, e la patente del luogo di monte s. Pietro; il tutto concertato come sopra, ed in coerenza ben' anche dei surriferiti capitoli ottavo, e nono. Secondariamente li detti reverendissimi padri Augusti, e Zaramellini come procuratori suddetti adesso, e per quando, ed al momento stesso, in cui verrà esibito negli atti miei dal sig. Pierantonj il beneplacito apostolico con titolo di pura e perfetta, ed irretrattabile vendita, ed abdicativa alienazione, vendono, ed alienano a favore del precitato signor Giovanni Pierantonj qui presente ec., ed accettante per, e suoi ec. la proprietà, e dominio diretto in profondità, latitudine, e superficie con qualunque interna pertinenza, membri, co-

modità, uso, e cosa annessa, e connessa, ed ivi contenuta, e racchiusa, niuna eccettuata ec. dell'area, ed estensione di canne Romane cento cinquantaquattro, e palmi dieci, per tanta, quanta è tutta insieme, ed unitamente nella specificata sua integrità, senza segregazione di parte, e parte, senza distinzione di solo, e solo; o di quantità, e quantità; di tutta cioè quella estenzione, ove erano situate le tre già demolite case Ciani, Pellegrini, ed Azzoni con i loro pianterreni, membri, appartenenze, adjacenze, usi, comodità, annessi, e connessi, che furono acquistate come sopra, dal riferito signor Pierantonj medianti i separati contratti accennati, e con la successiva indicata ratifica del lodato venerabile monistero, e dell'illustrissimo sig. cavalier Annibale Moroni. Quale area di canne cento cinquantaquattro, e palmi dieci, come sopra confinata rimane compresa entro i colori giallo, rosaceo, e di carne sotto le lettera A. B. C. nella pianta da ambe le parti approvata, ed a me notaro consegnata per inserirla nel presente istromento del tenore ec. E per causa, e titolo di simile vendita, ed alienazione, adesso e per allora cedono, rinunciano, e trasferiscono a favore dello stesso signor Pierantonj, e suoi ec. tutte, e singole ragioni, ed azioni a detto loro venerabile monistero spettanti, ed appartenenti, niuna affatto esclusa ec. nell'ampiezza, e totalità in cui ora ad esso competono, e possano competere sull'area, e suolo come sopra alienato tanto nella profondità, che nella latitudine, e superficie, ad averle, e possederle ec. colla piena clausola del costituto, e del precario in forma ec. Onde il menzionato signor Giovanni Pierantonj, e suoi ec. possano liberamente, ed indipendentemente dallo stesso venerabile monistero esercitarle, ed altresì goderne in ogni futuro tempo di tutti gli effetti, appendici, e conseguenze, anche all'oggetto di farsi riconoscere in dominum dalla famiglia Moroni perpetua enfiteuta, e suoi ec., ed anche per surrogare il proprio nome in vece, e luogo di quello da cancellarsi del venerabile monistero nelle tre iscrizioni lapidarie, poste all'esterno delle pareti del nuovo corpo di casa, spettante già al dominio utile dello stesso signor Pierantonj, e suoi ec. Ed il tutto in adesione pure delle accennate convenzioni ai capitoli primo e secondo.

Declarationes speciales.

§. 7. Si dichiara bensì espressamente ad ogni maggior cautela dalli riferiti contraenti, che per la suddetta alienazione non s' intenda indotta alcuna alterazione, o inferita vulnerazione alle ragioni di proprietà, e dominio diretto che competono al venerabile monistero di santa Maria Nuova sul rimanente dell' isola di Monte Santo, e respettive fabbriche, e siti, che la compongono; giacchè queste si lasciano ferme, ed intatte, e nel loro pieno vigore, ed operazione a favore dello stesso monistero, tali quali sono, però lungi da ogni novazione; eccettuata sempre la suddetta area di canne cento cinquantaquattro, e palmi dieci totalmente venduta, ed alienata come sopra a favore del signor Giovanni Pierantonj, e suoi ec. su cui il detto venerabile monistero, e monaci olivetani, e per essi li detti reverendissimi padri procuratori come sopra costituiti, si spogliano affatto di ogni dominio diretto, e proprietà, come sopra: in guisa che lo stesso fondo di canne cento cinquantaquattro, e palmi dieci rimane del tutto immune, ed esente da qualunque sequela mediata, ed immediata dell' esercizio del dominio diretto dell' anzidetto venerabile monistero sul restante dell' isola di Monte Santo. Promettendosi solennemente dalli suddetti reverendissimi padri lettor Augusti, e Zaramellini cellerario a nome come sopra ec. che il signor Giovanni Pierantonj compratore, e suoi ec. mai, e poi mai risentiranno sopra il fondo di canne cento cinquantaquattro, e palmi dieci loro alienato, per qualunque capo, causa, e titolo, alcuna benchè menoma consequenza, o appendice, o molestia, o ritorsione, o ripercussione dal detto esercizio di dominio diretto, che si lascia vegliante, ed attivo a termini in cui è, nel medesimo venerabile monistero sopra il restante circondario dell' isola di Monte Santo: in caso contrario i suddetti reverendissimi padri procuratori suddetti nello stesso nome promettono sotto le infrascritte generali obbligazioni di voler esser tenuti a tutti i danni, interessi, e spese giudiziali, e stragiudiziali perchè così ec. e non altrimenti ec.

Conventio de solutione pretii a Pierantonio solvendi.

§. 8. E questa vendita, ed alienazione adesso per allora li detti reverendissimi padri procuratori suddetti per detto loro venerabile monistero l'hanno fatta, e fanno a favore di detto signor Giovanni Pierantonj come sopra presente, ed accettante per se, e suoi ec. per il prezzo evidentemente utile allo stesso loro monistero, e così concordato in complesso, e per modum unius

a correspettività dell' intera alienazione in qualsivoglia prospetto, e specifico rapporto voglia esso considerarsi, e pro omni, et toto ec., perchè così ec., e non altrimenti ec. di scudi mille di moneta Romana a compimento dell' intero prezzo dell' alienazione, e da pagarsi, e rinvestirsi nella maniera, della quale appresso; oltre l'assegna de' frutti di un luogo di monte s. Pietro di cui parimenti si avrà ragione in appresso a totale suo discarico anche relativamente a quanto erasi egli assunto di obbligazione in nome, e vece dell' illustrissimo signor cavalier Annibale Moroni, e suoi ec. a favore del suddetto venerabile monistero; del quale prezzo consistente in scudi mille oltre l'assegna de' frutti del suddetto, ed infradicendo luogo di monte san Pietro adesso, e per quando ne saranno stati consegnati alli detti reverendissimi padri procuratori a quest' atto costituiti l' infrascritto ordine originale sul sagro monte della Pietà di questa metropoli, e l' infrascritta patente di detto luogo di monte s. Pietro, se ne chiamano li suddetti reverendissimi padri procuratori a nome come sopra, ben contenti, e soddisfatti, e ne fanno al divisato sig. Giovanni Pierantonj, e suoi ec. finale, finalissima quietanza in forma ec. assolvendolo ancora espressamente quando faccia d' uopo, da qualunque peso, e carico ad esso addossato per il pagamento dell'annuo canone di scudi diciotto in nome, e vece del sig. cavalier Annibale Moroni, e suoi ec. in conformità del sopraccitato istromento di ricognizione in dominum per gli atti del Gaudenzi notaro dell' eminentissimo vicario sotto li undici aprile mille settecento novantuno. Inesivamente poi al convenuto di sopra, e segnatamente nelli surriferiti capitoli cinque, e sei promette il nominato signor Giovanni Pierantonj adesso, e per quando avrà egli riportato come sopra l' apostolico beneplacito di sborsare la suddetta quantità di scudi mille al suddetto venerabile monistero, e monaci di santa Maria Nuova, e per essi alli detti loro reverendissimi procuratori come sopra costituiti, mediante un ordine di consimile somma sul deposito corrispondente a sua libera disposizione, e credito in detto sagro monte di Pietà; ed all' opposto i suddetti reverendissimi padri Augusti, e Zaramellini procuratori suddetti promettono; e si obbligano in detto nome di adempire esattamente le condizioni, e leggi, che saranno emologate in dett' ordine cioè che nell'atto dell' esigenza di detti scudi mille debbano rilasciarli contestualmente depositati in credito del prefato venerabile monistero, e non possa amoverli, se non ad effetto con loro ordine, o ordini investirli senza cura, e pericolo, e senza obbligo di manutenzione del menzionato signor Giovanni Pierantonj, e suoi ec. in tanti luoghi di monti camerali, e non vacabili di erezione san Pietro, ovvero in censi con luoghi pii, o comunità dello stato Pontificio da soggettarsi li medesimi investimenti contestualmente, e specialmente, purchè la specialità non deroghi alla generalità come in appresso, e non altrimenti ec. al vincolo di perpetua evizione a favore del detto signor Giovanni Pierantonj, e suoi ec. per l'acquisto suddetto; e tanto nelle patenti di detti luoghi di monti, quanto negl' istromenti di censi abbia a farsi menzione della provenienza del denaro dal prezzo di tale alienazione, e con richiamarne l' odierno istromento per gli atti miei, ed il beneplacito apostolico, che parimenti sarà esibito negli stessi atti del suddetto signor Giovanni Pierantonj. E lo stesso debba perpetuamente osservarsi tutte le volte, che venissero restituite le sorti principali di detti censi per doverne fare i nuovi investimenti in tutto, e per tutto come sopra. Come altresì promette l'anzidetto signor Giovanni Pierantonj a totale suo discarico consegnare al detto reverendissimo monistero, e per esso alli detti reverendissimi padri procuratori come sopra la patente di un luogo di monte s. Pietro, cantante la proprietà in faccia allo stesso signor Giovanni Pierantonj, e suoi ec., ma con la perpetua riserva dell' annuo fruttato a favore del nominato venerabile monistero di santa Maria Nuova, e con l'espressione in esse lettere patenti, che il detto fruttato si rilascia al prefato monistero a titolo di annuo canone dovuto dal sig. cavalier Annibale Moroni, e suoi ec. per la investitura del rimanente dell' isola di Monte Santo; esclusa però sempre l'area di canne cento cinquantaquattro, e palmi dieci, il di cui dominio diretto, e proprietà si aliena come sopra interamente a favore del suddetto signor Pierantonj, e suoi ec. colla presente stipolazione.

§. 9. Di più in esecuzione dei sopra espressi capitoli quarto, e settimo adesso, e per allora promette il signor Giovanni Pierantonj per se, e suoi ec. come successore del suddetto venerabile monistero nella proprietà, e dominio

*Pactum de servandis contractibus a monasterio stipulatis ante alienationem.*

diretto dell'accennata estenzione di canne cento cinquantaquattro, e palmi dieci, di osservare, nelle parti però compatibili, e conciliabili colla presente stipolazione, e per quanto è l'importo dell'alienazione a suo favore, le convenzioni, e contratti antecedentemente stipolati fra il suddetto venerabile monistero, e la illustrissima casa Moroni enfiteuta: ed all' opposto si obbligano i detti reverendissimi padri procuratori nel suddetto nome entro lo spazio di sei mesi dal giorno della esibizione del beneplacito apostolico negli atti miei di somministrare alla persona, che verrà destinata dal suddetto signor Pierantonj le notizie opportune, ed analoghe alla proprietà, e dominio diretto del fondo, di cui parlasi; e relativamente pure ai menzionati contratti con la casa Moroni, promettendo ancora di dargli il comodo di estrarre copia di esse notizie, e documenti dai libri dell'archivio monastico, coll'assistenza però di uno de' reverendissimi monaci, perchè così ec.

Aliae conventiones super libertate bonorum.

§. 10. Promettono finalmente li suddetti reverendissimi padri Augusti, e Zaramellini procuratori suddetti per il loro venerabile monistero, che la indicata area, o sito di canne cento cinquantaquattro, e palmi dieci in profondità, e latitudine, e superficie, come sopra alienato, ad essi liberamente spetta, ed appartiene quanto cioè alla sola proprietà e diretto dominio, ed essere libero, immune, ed esente da ogni canone, servitù, censo, fidecommisso purificato, da purificarsi, caducità, e devoluzione, nè ad altro qualsivoglia peso, e vincolo soggiacere, fuorichè all' enunciato sub-canone di annui scudi diciotto, e bajocchi venti riservato a favore della famiglia Moroni enfiteuta in sequela del diritto già esercitato, ed esaurito di subenfiteuticare, che gli fu originariamente trasferito, come sopra dallo stesso venerabile monistero di santa Maria Nuova. Come pure adesso, e per allora promettono nello stesso nome la presente vendita, ed alienazione sempre, ed inviolabilmente osservare, averla rata, grata, valida, e ferma, e contro non fare, dire, o venire sotto qualsivoglia pretesto, causa, titolo, o ricercato colore ec. non muover lite, nè fare questa da altri apportare. Anzi ogni lite, e molestia giudiziale, o stragiudiziale in conformità ben anche della convenzione al riferito capitolo terzo, in detto loro venerabile monistero assumere, ed assunta proseguire, e terminare in qualunque istanza, e parte di lite, e tanto fuori di giudizio, che in qualunque giudizio possessorio, petitorio, mero, misto, esecutivo, salviano, e nell'uno, e nell' altro in solidum ec. avocato o no il possesso, ad ogni sola, semplice, ed estragiudiziale richiesta, ed interpellazione da farsi anche dimessa copia nella casa del venerabile monistero a campo Vaccino; o al padre procuratore pro tempore deputato ad lites dal medesimo: ed in assenza da Roma dei reverendissimi monaci, per contradette, editto pubblico, affissione ad valvas curiæ, quale così fatta astringa, ed abbia forza e vigore, come se personalmente fosse stata eseguita: ed in analogia di quanto sopra, e del menzionato capitolo terzo promettono ancora adesso, e per allora di mantenere, e conservare il suddetto signor Giovanni Pierantonj, e suoi ec. in quieto, e pacifico possesso di detta area e sito di canne Romane cento cinquantaquattro, e palmi dieci in profondità, latitudine, e superficie indicato, e confinato secondo la pianta concordemente approvata, ed a me consegnata per inserirla ec. obbligandosi (oltre all'ipoteca speciale sopra li detti luoghi di monti, e censi da acquistarsi, e soggettarsi al vincolo della suddetta speciale evizione) generalmente per ogni e qualunque evizione universale, generale, e particolare, e della legittima difesa di ragione, e di fatto in forma amplissima, e senza confine anche secondo lo stile della Romana curia, ed a tutti, e singoli danni, interessi, e spese giudiziali, e stragiudiziali ec. de quali ec. rimossa ogni eccezione ec. perchè così ec. e non altrimenti ec.

Quæ omnia etc. alias etc. de quibus etc. quod etc. pro quibus etc. præfati reverendissimus pater abbas, et reverendissimi monachi bona, et jura d. venerabilis monasterii, et dictus illustrissimus dominus Joannes Pierantonj se ipsum ejusque hæredes etc. bona etc. et jura etc. in ampliori reverendæ cameræ apostolicæ forma, solitis cum clausulis etc. citra etc. obligarunt etc. renunciantes etc. consentientes etc. unica etc. sicque tactis etc. pectoribus etc., et scripturis, respective jurarunt etc. = Super quibus omnibus, et singulis præmissis, tamquam rite, recte, valide, legitimeque gestis, et factis petitum fuit a me notario publico infrascripto, ut unum, seu plura, publicum, sive publica instrumentum, sive instrumenta conficerem, atque traderem prout opus fuerit, et requisitus ero = Actum Romæ

in dicto venerabili monasterio sanctæ Mariæ Novæ præsentibus dominis Dominico Alibrandi filio quondam Clementis Romano, et Marco Puscetti filio quondam Stephani pariter Romano testibus etc.

Confirmatio apostolica.

§. 11. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo contractus hujusmodi monasterio prædicto perutilis suum sortiatur effectum, ac firmius subsistat, et servetur exactius memorati exponentes apostolicæ confirmationis patrocinio præinsertum instrumentum communiri summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et illorum, quorum interest, singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertum instrumentum, et omnia, et singula in eo contenta auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti, siqui desuper in eisdem quomodolibet intervenerint, penitus, et omnino supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 12. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ordinis, et congregationis prædictorum, quatenus opus sit, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die nona aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo nono.

---

## CMXXXVI.

Dat. die 26 aprilis 1793 anno XIX.

Exemptio perpetua hospitalis terræ Vulsinii Urbevetanæ diœcesis ab administratione, et gubernio communitatis ejusdem terræ, illiusque subjectio episcopis Urbevetanis pro tempore existentibus.

Dilecto filio Nostro
Paulo Francisco
Sanctæ Romane Ecclesiæ presbytero
cardinali Antamoro nuncupato
ex dispensatione, et indulto apostolico
episcopo Urbevetano.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster

Salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Decet Romanum pontificem inter cætera, quæ sibi ex pastoralis officii ministerio commissa sunt, ad ea quoque suæ providentiæ intuitum convertere, per quæ bonorum temporalium ad pia loca pertinentium administrationi facile, ac prudenter consulitur, unde quælibet piorum testatorum fundationes frustrandi tollatur occasio, prout in Domino salubriter expedire arbitratur.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, postquam te in apostolicum visitatorem terræ, seu loci Vulsinii tuæ Urbevetanæ diœcesis deputavimus, inter plu-

rima, quæ in vim muneris, seu officii hujusmodi prudenter a te disposita fuere, administrationem quoque, et regimen hospitalis, seu nosocomii pauperum peregrinorum infirmorum inibi erecti per modum provisionis tibi vindicaveris, ac interim in iis, quæ tam ad spiritualia, tum ad temporalia spectant, quam maxime profecerit; hinc Nos ejusdem loci pii bono in ævum consulere volentes, tibi prævia, quatenus opus sit, quacumque exemptione, et liberatione ejusdem hospitalis a qualibet prætensa jurisdictione, seu administratione camerarii pro tempore existentis communitatis dictæ terræ, seu loci Vulsinii, cui usque ad prædictum tempus subjecit, circumspectioni tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut hospitale, seu nosocomium prædictum tuæ, tuorumque successorum episcoporum Urbevetanorum pro tempore existentium omnimodæ jurisdictioni, ac guberaio in spiritualibus, ac temporalibus subjicias, eaque propter dilectis filiis hominibus dictæ communitatis, seu illius camerario pro tempore existenti harum serie prohibemus, ne in iis, quæ ad hospitale, seu nosocomium hujusmodi spirituale, ac temporale guberaium, et administrationem pertinent, deinceps se ullatenus ingerere, audeant, seu præsumant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non hospitalis, seu nosocomii hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima sexta aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo nono.

---

## CMXXXVII.

Dat. die 14 maii 1793 anno XIX.

Extensio literarum apostolicarum anni 1789 ad septem alias dignitates cathedralis Pharaonensis.

Venerabili fratri
Francisco episcopo Pharonensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater

Salutem, et apostolicam benedictionem.

Memorantur literæ ad rem expeditae de anno 1789.

§. 1. Nuper tui nomine Nobis humiliter expositum fuit, quod Nos alias per Nostras in simili forma Brevis die vicesima quinta septembris, et undecima decembris anni millesimi septingentesimi octogesimi noni expeditas literas, quo episcopale seminarium ad formam concilii Tridentini erigere, ac quatuor cantoratus in tua cathedrali ecclesia fundare posses, sex beneficia, dimidios canonicatus, seu semi-præbendas nuncupat., quæ in eadem ecclesia jamdiu erecta reperiuntur, auctoritate Nostra apostolica supprimendi, ac extinguendi, ac redditus, et proventus hujusmodi in memoratas causas applicandi plenam, et amplam facultatem impertiti sumus: et cum uni ex dictis beneficiis, seu dimidiis canonicatibus cura animarum veluti parocho principali esset adnexa, voluimus, ut post illius suppressionem cura animarum penes capitulum habitualiter remaneret, ita tamen, ut deinceps cura animarum hujusmodi ab altero ex canonicis dictæ tuæ cathedralis ecclesiæ exerceretur, ac in perpetuum eidem canonicatui, seu præbendæ cura animarum

hujusmodi esset adnexa, ac possessor dicti canonicatus, seu præbendæ de cætero semper esset parochus principalis.

Ratio concessionis.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præter canonicatus, seu præbendas canonicales aliæ septem dignitates in eadem ecclesia tua cathedrali erectæ reperiantur, quibus chori dumtaxat interessentiæ onus incumbit, ac inter dignitates hujusmodi facilius inveniri possit, qui ad curam animarum magis idoneus sit, licet nomine capituli, canonicorum, ac præbendarum hujusmodi in memoratis Nostris literis ipsæ dignitates forsan intelligi possent, nihilominus ad evitandas quaslibet controversias, ac dubia, quæ hisce desuper oriri possent, easdem Nostras literas declarari, ac dignitates prædictas ampliari summopere desideras. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor.

§. 3. Nos igitur te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, memoratarum Nostrarum literarum dispositionem ad septem dignitates prædictas auctoritate apostolica tenore præsentium extendimus, et ampliamus: eaque proter fraternitati tuæ curam animarum post suppressionem dimidii canonicatus, cui cura animarum, ut præfertur, adnexa est, eamdem curam animarum uni ex canonicatibus, vel ex dignitatibus tuæ cathedralis ecclesiæ, illi, scilicet, cujus possessor magis idoneus, et dignor juxta datam tibi a Domino prudentiam reperietur, servata in reliquis earumdem literarum forma, et dispositione, perpetuo uniendi, et adnectendi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter interpretandi, et judicandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus iis, quæ in memoratis Nostris literis non obstare voluimus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta maii millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo nono.

---

## CMXXXVIII.

Dat. die 16 maii 1793 anno XIX.

Abdicatio nominationis ad duas cappellanias in parochiali collegiata nuncupata antea ad illius vicarium, et beneficiatos spectantis cum illius translatione, et reservatione favore principis Brasiliæ pro tempore, et cum injunctione duobus futuris cappellanis oneris exercendi per turnum cum dictis beneficiatis curam animarum dictæ parochialis ecclesiæ.

Pius episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Indecora contentionum semina ecclesiasticas inter usque personas in exercitio nominationis exorta, quæ non solum extructum ædificationis templum destruere, sed piarum maxime fundationum exitium præseferre noscuntur, Romani pontificis providentia circumspecta, ne in dies ultro gradiantur, sedulo studio eliminare dum satagit, meliori, atque utiliori beneficiorum conditione, animarumque simul spirituali profectu jura ipsa nominationis in regios principes, qui de catholica religione benemereri non cessant, et novo semper virtutum specimine militantem Ecclesiam, ejusque visibile caput in medio aquarum multarum exhilarant optima transfert ratione, prout rerum circumstantiis rite quoque perpensis conspicit in Domino plurimum expedire.

Exponitur status subortarum contentionum.

§. 2. Cum itaque ex insinuatione dilectissimi in Christo filii Joannis Brasiliæ principis, ac magni prioris prioratus nuncupati ordinis, seu hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani de Crato etiam nuncupati Nullius diœcesis provinciæ Lisbonensis Nobis nuper facta acceperimus, quod in parochiali, quæ ad instar collegiatæ ut infra deserviri solet ecclesia, vicaria nuncupata sancti Petri villæ de Cortax dictæ Nullius diœcesis provinciæ prædictæ supradicto prioratui subjecta, cujus animarum dilectorum filiorum illius parochianorum cura per illius rectorem vicarium nuncupatum, ac plures beneficiatos tot perpetua simplicia personalem tamen residentiam requirentia beneficia ecclesiastica in ea obtinentes alternatim, ac per turnum exerceri solet, et cujus insuper rector, et beneficiati prædicto choro ipsius parochialis ecclesiæ collegialiter inservire, ac divina inibi officia celebrare tenentur usque ab anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo ex pia quondam tunc in humanis agentium Antonii Gomez, et Mariæ Lobata conjugum dispositione dum viverent, seu in eorum ultimis sub quibus ab eisdem humanis decesserunt testamentariis tabulis facta, duæ itidem perpetuæ sine cura cappellaniæ fundatæ reperiuntur, quæ subinde de anno ejusdem Domini millesimo septingentesimo sexagesimo quarto in totidem perpetua beneficia ecclesiastica ordinaria auctoritate erectæ fuerunt, quas quidem cappellanias, seu quæ posteriora duo beneficia sic erecta hujusmodi respective pro tempore obtinentibus ex fundatorum eorumdem voluntate missam quotidie celebrandi, nec non choro ipsius parochialis ecclesiæ interessendi, ibique horas canonicas recitandi, et canendi, ac statum ipsius chori ad instar rectoris, et aliorum beneficiatorum hujusmodi dictæ parochialis ecclesiæ observandi respective onera incumbunt, ad quas, seu quæ dum illæ, seu illa pro tempore vacant, nominatio personarum idonearum, ut infra qualificatarum in eis ad nominationem hujusmodi per ordinarium loci, aut alias instituendarum ad pro tempore existentes dictæ parochialis ecclesiæ rectorem, et beneficiatos prædictos, cessantibus tamen reservationibus, et affectionibus apostolicis, spectat, et pertinet, et in quarum, seu quorum fundatione prædicta cavetur expresse, quod capellaniæ prædictæ, seu posteriora duo beneficia hujusmodi etiam dum illæ, seu illa pro tempore vacant, clericis, seu presbyteris idoneis de sanguine dictorum fundatorum usque ad quintum inclusive consanguinitatis gradum descendentibus ad supradictam nominationem conferri debeant, ea tamen in fundatione hujusmodi tunc adjecta lege, quod si duo presbyteri extent eorumdem fundatorum consanguinei intra dictum gradum senior ex iis, qui in prædicta villa habitet, alteri licet in gradu hujusmodi remotior sit, et si presbyter consanguineus non esset, tunc clericus etiam consanguineus in minoribus ordinibus constitutus cuicumque presbytero extraneo, et non consanguineo præferri debeat, qui tamen clericus prædictas chori obligationes per se ipsum adimplere, missasque per alium celebrari facere teneatur, donec ad ætatem vigintiquinque annorum pervenerit, ita ut ad sacros ordines titulo suæ cappellaniæ, seu beneficii hujusmodi promoveri possit. Et si ad ætatem hujusmodi perventus ad dictos sacros ordines se promoveri non fecerit, cappellania, seu beneficio hujusmodi per eum tunc obtenta, seu obtento privandus sit; et casu, quo nullus clericus consanguineus existat, illi ex prædicta villa oriundi cæteris extraneis similiter præferantur.

Declaratur quale remedium fuerit excogitatum a rege Brasiliæ pro eliminandis incomodis prædictis.

§. 3. Quoniam vero ex hujusmodi nominationis forma, atque multiplici prælationum lege in dicta fundatione, ut præfertur præscripta sæpissime evenit, ut occurrente dictarum cappellaniarum, seu posteriorum duorum beneficiorum hujusmodi vacatione plures inter rectorem, et beneficiatos pro tempore existentes prædictos ejusdem parochialis ecclesiæ, super nominatione personarum hujusmodi excitentur dissentiones, ac jurgia. Ob id prædictus Joannes princeps tamquam modernus, ut præfertur, prior ejusdem prioratus, cujus Nos omnimodam administrationem per Nostras in forma Brevis sub annulo piscatoris diei vicesimæ quartæ mensis novembris anni ipsius Domini millesimi septingentesimi octogesimi noni expeditas literas patrimonio, ac domui de Infantato nuncupatæ apostolica auctoritate perpetuo univimus, et incorporavimus, ita ut præfatus Joannes princeps, et infans, et qui deinceps domum, ac statum de Infantato hujusmodi pro tempore administraverit, prioratum prædictum obtineat ordine itidem succedendi prædictæ domui æque ac prioratui hujusmodi in prædictis literis distincte exposito, atque præscripto, prout in eisdem literis plenius con-

tinetur, ad avertendas in posterum, penitusque eliminandas eas omnes discordiarum occasiones, quæ ecclesiasticæ dignitati dedecoris sunt, ac scandalum quoque generant in populo, illud unice expediturum agnovit, ut jure nominandi hujusmodi ad prædictas cappellanias, seu posteriora duo beneficia prædicta ex nunc in posterum a modernis, et pro tempore existentibus dictæ parochialis ecclesiæ rectore, et beneficiatis prædictis in perpetuum abdicato, illud in prædictum Joannem principem, ejusque in dicta domo, ac statu de Infantato hujusmodi successores, seu administratores eisdem modo, et forma, quibus jus nominandi ad prædictam parochialem ecclesiam, et singula priora beneficia prædicta eidem Joanni principi, ejusque successoribus, seu administratoribus prædictis ratione dicti prioratus competit, etiam perpetuo transferatur, eique, et illis respective reservetur, atque uno eodemque tempore idem Joannes princeps, utpote de animarum Christifidelium in sua ditione degentium salutis incremento satis sollicitus plane compertum habens, quam utile, ac fructuosum vineæ Domini sit, ut operarii in illa multiplicentur, qui continuo plantent, et irrigent, eamque assidua vigilantia custodiant ad hoc, ut prædictæ cappellaniæ, seu posteriora duo beneficia hujusmodi singulis dictæ villæ habitantibus utiliores reddantur, sapientissimo consilio duxit futuris, et pro tempore existentibus cappellaniarum prædictarum, seu posteriorum duorum beneficiorum possessoribus in infrascriptum tamen eventum, et sub infrascripta conditione onus exercendi curam animarum dictorum parochianorum ejusdem parochialis ecclesiæ modo tamen, et ordine infrascriptis perpetuo pariter esse injungendum. Cumque sicut etiam accepimus idem Joannes princeps præ suis, quibus nimirum se præbet in Romanum pontificem obedientia, et obsequio plurimum cupiat, ut præmissa ejus dispositio apostolicæ Sedis auctoritate, et favore muniatur.

Confirmat pontifex auctoritate apostolica providentias regis.

§. 4. Nos igitur, qui quanto magis Christiani principes eorum sinceræ devotionis affectus Nobis, et huic apostolicæ Sedi in dies exhibere conantur, tanto magis eos apostolicæ munificentiæ favoribus cumulare compellimur, piis ejusdem Joannis principis votis in præmissis favorabiliter annuere volentes, motu proprio, ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine a prædictis modernis, et pro tempore existentibus dictæ parochialis ecclesiæ rectore, et beneficiatis jus nominandi ad prædictas cappellanias, seu posteriora duo beneficia hujusmodi eis in fundatione prædicta competens ob præmissum effectum ex nunc in posterum apostolica auctoritate prædicta tenore præsentium perpetuo abdicamus, et separamus, dictumque jus nominandi ad prædictas cappellanias, seu posteriora duo beneficia hujusmodi quoties illas, seu illa, et illarum, seu illorum quamlibet, seu quodlibet per cessum, vel decessum, aut alias quomodolibet ex personis illas, seu illa nunc respective obtinentibus vacare contigerit, personas idoneas juxta tamen supradictam fundationem debite qualificatas, et per ordinarium loci prius examinandas, et ad curam animarum exercendam approbandas, et in illis respective instituendas in eumdem Joannem principem, ejusque in dicta domo, ac statu de Infantato hujusmodi successores, seu administratores prædictos, modo tamen, et forma, quibus jus nominandi ad prædictam parochialem ecclesiam, et singula priora beneficia hujusmodi eidem Joanni principi, ejusque successoribus, seu administratoribus prædictis ratione dicti prioratus competere dignoscitur, eorumdem modernorum rectoris, et beneficiatorum dictæ parochialis ecclesiæ consensui ad id quomodolibet necessario eadem apostolica auctoritate supplendo, simili apostolica auctoritate etiam perpetuo transferimus, ipsique Joanni principi, ejusque successoribus, seu administratoribus prædictis etiam perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus. Ac præterea ex nunc prout ex tunc, et e contra postquam tamen prædictæ cappellaniæ, seu posteriora duo beneficia hujusmodi ex personis illas, seu illa nunc obtinentibus vacaverint, futuris, et pro tempore existentibus earumdem cappellaniarum, seu posteriorum duorum beneficiorum hujusmodi possessoribus tam dictorum fundatorum consanguineis, si alias ad id reperiantur idonei, quam extraneis exituris præter supradictas jam ipsis incumbentes obligationes, onus, ut ipsi curam animarum dictorum parochianorum ejusdem parochialis ecclesiæ exercere, aliaque parochialia munia, et officia alternatim, ac per turnum una cum dictæ parochialis ecclesiæ rectore, et cæteris aliis beneficiatis pro tempore existentibus prædictis obire respective debeant, et teneantur, ea tamen lege quoad dictorum fundatorum consangui-

neos tantum; qui prædictas cappellanias, seu posteriora duo beneficia prædicta pro tempore obtinebunt, quod si ipsi ad curam animarum hujusmodi exercendam minus habiles, et idonei reperti fuerint, ab hujusmodi onere exempti remaneant simili apostolica auctoritate itidem perpetuo injungimus, et imponimus.

Tollitur omne remedium juris quod facere posset contra execution em præsentium literarum.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima etiam ex eo, quod causæ propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quopiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu; seu etiam ex eo, quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliaque ratione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, et extra illud posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter, ac quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiam si in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi; et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Sicque et non aliàs per quoscumque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictæque Sedis nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, ac privilegio fungentes, vel honore, et præeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus fundatione prædicta quoad jus activum tantum nominandi, non tamen quoad passive vocatos, ac Nostra, et dictæ cancellariæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concessis, et concedendis; quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de

illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, seu quælibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent eisdem præsentibus pro insertis, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum validissimum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Deputatio executoris apostolici.

§. 8. Nos autem cupientes, ut præmissa omnia sic per Nos, ut præfertur disposita sine ulla hæsitatione sortiantur effectum, dilectum quoque filium Nostrum, et dictæ Sedis apostolicæ nuncium in civitate Lisbonensi commorantem in executorem earumdem præsentium literarum constituimus, et deputamus, eique insuper facultatem, ut ipse super quacumque oppositione in actu executionis hujusmodi quomodolibet oritura, servatis tamen, quæ fuerint de jure servanda, etiam definitive pronunciare libere, et licite valeat dicta apostolica auctoritate concedimus, atque impertimur.

Sanctio poenalis.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ abdicationis, separationis, translationis, reservationis, concessionis, assignationis oneris, injunctionis, impositionis, decreti, derogationis, constitutionis, deputationis, facultatis, et impartitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, decimo septimo kalendas iunii, pontificatus Nostri anno decimonono.

## CMXXXIX.

Dat. die 17 maii 1793 anno XIX.

Confirmatio aggregationis congregationis purissimæ Conceptionis B. M. V. civitatis Barchinonensis ad archiconfraternitatem Conceptionis B. M. V. in ecclesia ss. Laurenti, et Damasi de urbe erectam.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres congregationis purissimæ Conceptionis sub titulo Coronæ septem gaudiorum beatæ Mariæ virginis canonice, ut asseritur, erectæ in ecclesia conventus sancti Francisci civitatis Barchinonensis, quod ipsi eamdem congregationem archiconfraternitati Conceptionis beatæ Mariæ virginis in basilica ecclesia sanctorum Laurentii, et Damasi almæ Nostræ urbis pariter erectæ aggregari, eique omnes indulgentias, et privilegia dictæ archiconfraternitati a diversis Romanis pontificibus prædecessoribus Nostris concessa per ejusmodi archiconfraternitatem communicari novissime obtinuerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes præmissa pro firmiori illorum subsistentia apostolicæ confirmationis Nostræ robore communiri summopere desiderent.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, aggregationem memoratæ congregationis ad præfatam archiconfraternitatem de urbe factam, ut præmittitur, si et quatenus servata in omnibus, et per omnia forma, et dispositione constitutionum Romanorum pontificum prædecessorum Nostrorum super similibus aggregationibus editarum facta fuerit, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et et facti defectus, si qui desuper quomodolibet interverint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima maii millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo nono.

---

Dat. die 17 maii 1793 anno XIX.

## CMXL.

Confirmantur nonnullæ gratiæ alias cappellæ beatæ Mariæ virginis monasterii monachorum ordinis sancti Benedicti loci Eremitarum nuncupat. Constantiensis diœcesis a Romanis pontificibus concessæ.

### Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Pastoralis officii, quo catholicæ Ecclesiæ regimini divina dispositione præsidemus, debitum exigit, ut ea, quæ a Romanis pontificibus prædecessoribus Nostris ad divinum cultum augendum, ac sanctorum, et præsertim beatæ Mariæ virginis venerationem promovendam scite, ac prudenter concessa fuerunt, ne temporum injuria privilegia hujusmodi obliterentur quoties a Nobis petitur apostolicæ Nostræ confirmationis robur, ac firmitatem adiiciamus, prout in Domino expedire conspicimus.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii abbas, et monachi monasterii beatæ Mariæ virginis ordinis sancti Benedicti loci Eremitarum nuncupati Constantiensis diœcesis provinciæ Moguntinæ, quod alias felicis recordationis Leo pp. VIII. prædecessor Noster ad promovendam in beatam Mariam virginem devotionem Christifidelium devotionem, cujus icon in cappella dicti monasterii sita erat, aliisque certis tunc expressis causis omnibus fidelibus contritis, et confessis cappellam hujusmodi devote visitantibus plures gratias, ac privilegia spiritualia concessit, prout censentur in ejusdem Leonis prædecessoris literis sub plumbo anno incarnationis Dominicæ CMLXIV indictione septima datis, quas olim bonæ memoriæ Henricus, dum vixit, episcopus Costantiensis ex ipsius Leonis prædecessoris literis exemplari, ac transumi fecerat, et cujus exemplum a venerabili fratre Josepho archiepiscopo Beritensi in dominio Helvetiorum, et Rhetorum Nostro, et apostolicæ Sedis nuncio authenticatum Nobis nuper oblatum fuit, tenoris qui sequitur.

Leo episcopus servus servorum Dei.

Tenor concessionis factae a Leone X.

§. 3. Convenit apostolico moderamini piis locis religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium, sive Nos consulentium animis alacri devotione impertiri assensum, et consilium. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsentibus, et futuris notum esse volumus, quia venerabilis frater, et coepiscopus Noster Constantiensis, nomine Conradus, coram dilectissimo filio Nostro Othone imperatore, et Adelheide sua cara conjuge, cum aliis multis principibus suggessit Nostro apostolatui, quod ad locum quemdam in suo territorio situm, Cella Meinradi vocatum, anno ab incarnatione Domini MCCCCXLVIII. ad hoc vocatus venisset, et cappellam unam in honore sanctæ, et superexaltatæ Dei genitricis semper virginis Mariæ xviii. kal. octobris illic consecraret. Sed cum circa medium noctis, more solito, causa orationis surrexisset, dixit se dulcissimum canticum cum quibusdam fratribus religiosis ejusdem loci audivisse, et cum diligentius, quod hoc esset, per-

scrutari voluisset, veraciter comprehendit, talem cantum, et talem ordinem tunc angelos habuisse in illius capellæ, pro qua ipsi venerant consecratione, qualem adhuc episcopi solent habere in ecclesiarum dedicatione. Mane autem facto, et apparatis omnibus episcopum tardantem, et circa medium diem fere differentem, cappellam aggredientes, ut promissum inciperet officium, deprecati sunt. Sed eum residentem, et ejus visionem exponentem acriter apprehenderunt; donec audita tandem voce aperte: *frater cessa, divinitus consecrata est* ter audierunt. Et tunc perterriti rem prædictam gestam veram, et sanctam cognoscentes approbabant ecclesiam præfatam ex illa die cœlitus consecratam veraciter affirmantes. Unde prænominatus episcopus et dilectus frater Noster adiens limina sanctorum apostolorum Petri, et Pauli Nostram consulit auctoritatem, si post hanc vitam, et certam veritatem sibi, vel post eum alicui episcoporum manum liceret apponere. Nos enim consultis venerabilibus viris fratribus, et coepiscopis Nostris, Othone scilicet Moguntinæ ecclesiæ archiepiscopo, Brunone Coloniensis ecclesiæ archiepiscopo, Annone Vormatiensis ecclesiæ episcopo, Otthuino Hildesinensis ecclesiæ episcopo, Okkone Mirmidmensis ecclesiæ episcopo, Erkenbaldo episcopo Argentinensis, Uldarico Augustensis ecclesiæ episcopo, Hartberto Curiensis ecclesiæ episcopo, nec non Egghardo Augiensi abbate, et Bureardo sancti Galli abbate, et aliis quampluribus, quorum consilio nominatæ cappellæ consecrationem ratam esse confirmamus, et ne præsens episcopus, vel aliquis successorum manum deinceps audeat admittere, auctoritate principum Petri, et Pauli, et prædictorum fratrum, et Nostra sub anathemate inhibemus. Præterea rogatu, et instinctu dilectissimi filii Nostri Othonis imperatoris, qui non parum eamdem cellam dilexerat, et Deo dilectæ uxoris suæ Adelheidæ, nec non fratrum prædictorum consilio, sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdicto statuimus, et præcipimus, ut si quicumque homo potens, vel impotens, spiritualis, vel sæcularis ausu temerario contra hoc apostolicæ auctoritatis privilegium agere præsumpserit, aut præfatum monasterium cum aliquibus pertinentiis ejus, vel quæ in præsenti possidet, vel quæ Deo donante in jus, et dominium ejusdem ecclesiæ deinceps pervenerint, cuiquam nisi communi, et saniori fratrum Deo ibi famulantium consilio, et consensu concesserit, et abbati, fratrumque suorum usibus subtraxerit, ac aliquo modo de lecto suæ quietis excitaverit, sive homines ejus, ubicumque locorum maneant, violenter, et injuste oppresserit, nisi resipuerit, et Deo primum, et post famulis suis satisfecerit, auctoritate Dei, et Nostra non solum anathematis vinculis innodetur, sed a regno Dei alienus existat. Observatores autem omnipotentis Dei gratia benedicat, et a cunctis peccatorum nexibus absolvat. Nos etiam confisi omnipotentis Dei gratia, et apostolorum Petri, et Pauli, et Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ, et apostolicæ Sedis gratia, et auctoritate cunctos prædictum locum confessi, et contriti visitantes a culpa, et a pœna reddimus absolutos. Scriptum autem per manum Petri notarii, et scriniarii Sanctæ Romanæ Sedis in mense novembri iv. idus novembris. Lectum iii. idus novembris assedente Domino Leone papa in Sede sua juxta altare sancti Petri, coram Domino Othone imperatore, filioque ejus Othone, atque imperatrice Adelheide, et venerabilibus prædictis fratribus, nec non multis aliis principibus, tam Romanis, quam Teutonicis. Et confirmatum per manum Domini Leonis papæ hujus nominis VIII. in ordine autem CXXXVI. anno ab incarnatione Domini DCCCCLXIV. indictione vii. feliciter. Amen.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, concessiones, privilegia spiritualia, ac remissiones peccatorum; ut præfertur, a memorato Leone prædecessore concessa ab aliis Romanis pontificibus felicis recordationis Julio II. Leone X. Gregorio XIII., et Clemente VIII. prædecessoribus Nostris vel specifice, vel generice per suas respective sub plumbo, vel in simili forma Brevis expeditas literas confirmata fuerint quo ea firmius subsistant, et serventur exactius memorati exponentes Nostræ apostolicæ confirmationis, et approbationis robur adiicere summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui honestis petentium votis libenter annuimus, eosque favoribus prosequimur opportunis, memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, senten- Confirmatio ejusdem indulti.

tiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, ac singularum literarum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, omnes, et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, nec non absolutiones, illarumque confirmationes, et approbationes, ac novas concessiones, gratias, et indulta, ut præfertur, ac concessa, et confirmata, nec non omnes, et singulas memoratorum Leonis VIII. Julii II., Leonis X., Gregorii XIII., et Clementis VIII. prædecessorum desuper confectas auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, ac illis perpetuæ, et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, nec non illa omnia, et singula quemadmodum, ut præfertur, concessa, et confirmata fuerunt, perpetuo valida, et efficacia fore, et esse, suosque plenarios effectus sortiri debere decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima maii millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo nono.

---

## CMXLI.

Dat. die 28 maii 1793. anno XIX.

Responsa data de consilio selectæ congregationis cardinalium diversis quæstionibus propositis a clero Galliarum.

Sollicitudo omnium ecclesiarum, qua premitur sanctissimus dominus Noster Pius divina providentia papa Sextus, atque ardens studium iis omnibus opitulandi, qui difficillima nacti tempora Gallicanis præsunt ecclesiis, quemadmodum in causa semper fuit, ita et nunc est, ut nihil omittat eorum quæ ostendant in tenebris lumen, ac præmonstrent viam planam in asperis, et semitam bonam, per quam ambulent fideles, ne forte offendant ad lapidem pedes suos. Hujus autem sollicitudinis, et studii innumera jam, et amplissima Galliarum episcopi habuere documenta. Notum enim jam est non in Galliis tantum, sed in omnibus etiam catholicorum principum ditionibus judicium apostolicæ Sedis adversus civilem constitutionem cleri regni Galliarum editum, ac pervulgatum variis apostolicis literis, quæ jussu sanctitatis Suæ typis editæ, et circumlatæ sunt, ut fideles sibi caverent a perniciosis erroribus, qui in ea continebantur. Novum nunc accedit sollicitudinis documentum, cum Sanctitas Sua volens omnibus, quantum in se est, prodesse, in unum colligi, et typis mandari curat, ac publica fieri, et communia omnibus Gallicanarum ecclesiarum episcopis, atque administratoribus vacantium diœcesium communionem, et gratiam Sedis apostolicæ habentibus, nec non aliis fidelibus quibuscumque, illa responsa, illasque decisiones, quæ etsi ab eadem Sanctitate Sua, audito prius consilio selectæ cardinalium congregationis, nonnullis tantum petentibus traditæ sint, non alia de causa, nisi propter peculiares ærumnosas singulorum circumstantias, adjumento tamen quammaximo præfatis episcopis, atque administratoribus esse possunt, qui si forte in eosdem inciderint casus, habent unde regulam desumant tutissimam, ut et promptius, et accuratius gravissimis fidelium necessitatibus accurrant, nec non *ut in ecclesiarum statu quoquomodo interim componendo, servetur ab omnibus una, et fida consensio*: verba sunt s. Cipriani epist. 32. edit. Balutii.

Peculiaribus hisce responsis, atque decisionibus subjungitur indultum ejusdem Sanctitatis Suæ pro fidelibus regni Galliarum, ut ii possint hoc teterrimæ insecrationis tempore indulgentias lucrari.

RESPONSA DATA

## A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

De consilio selectæ cardinalium congregationis diversis quæstionibus eidem Sanctitati Suæ præpositis.

*Quaestio* 1. Num fidelibus liceat diebus ferialibus sacrificio eucharistico assistere celebrato a parocho, aut simplici presbytero, qui civicum juramentum emiserint?

*Quaestio* 2. Num fidelibus liceat dominicis, aliisque festis de præcepto diebus eucharistico sacrificio assistere a præmemoratis sacerdotibus celebrato?

*Quaestio* 3. Num fidelibus liceat assistere vesperis, quæ celebrantur, aliisque publicis precibus, quæ recitantur sub directione parochi, aut presbyteri jurati?

*His tribus quaestionibus responsum fuit, ut sequitur* = Non licere fidelibus, sive diebus ferialibus, sive dominicis, aliisque festis de præcepto diebus missæ assistere celebratæ a parocho, vel simplici presbytero, qui civicum juramentum emiserint: neque eisdem fidelibus licere vesperis, publicisque precibus assistere, quibus parochus, vel simplex presbyter juratus præest. Cum enim vetita expresse fuerit a sanctissimo domino Nostro per literas apostolicas in forma Brevis diei xix. martii superioris anni quævis communicatio præsertim in divinis cum intrusis, et refractariis quocumque nomine appellentur, evidens profecto est vetitam eo ipso fuisse communicationem in divinis cum parochis, simplicibusque presbyteris juratis, quos refractariorum nomine venire nemo prudens ambiget. Jam vero si fideles assisterent missæ sacrificio celebrato a presbyteris juratis, sive ferialibus diebus, sive diebus festis de præcepto, aut si assisterent vesperis, aliisque publicis precibus, quæ recitantur sub directione parochi, aut presbyteri jurati, cum ipsis profecto in divinis communicarent. Ex quo illud consequitur, abstinere fideles debere ab assistendo tum diebus ferialibus, tum diebus festis de præcepto, missæ sacrificio celebrato a parochis, et simplicibus presbyteris juratis, atque ab assistendo vesperis, ac aliis publicis precibus, quæ recitantur sub assistentia parochi, aut simplicis presbyteri juramento civico obstricti.

*Quaestio* 4. Num absolutionem, et communionem quovis anni tempore, præsertim vero tempore paschali a parocho jurato petere fidelibus liceat?

*Responsum fuit* = Eadem prorsus ratione ac ad præcedentes.

*Quaestio* 5. Num parochum juratum fideles adire licite possint, pro sacramentis baptismatis, et matrimonii?

*Responsum fuit* = Non licere, excepto tamen (ubi res sit de baptismo) casu extremæ necessitatis, in quo non adesset alius valens baptizare.

*Quaestio* 6. Num catholicis licitum sit patrini munere fungi in baptismate administrato a parocho, sive presbytero jurato?

*Responsum fuit* = Non licere fidelibus patrini munere fungi in baptismate administrato a parocho, sive presbytero jurato, ne cum ipso in divinis communicent.

*Quaestio* 7. Num fidelibus liceat patrini munere fungi in baptismate collato a parocho intruso?

*Responsum fuit* = Non licere fidelibus munere patrini fungi in baptismate a parocho intruso administrato: cum enim parochus intrusus schismaticus profecto sit, ejusque schisma evidentissime constet, ex eo fit, ut actio catholici infantem de sacro fonte levantis in baptismate a parocho intruso administrato, quacumque ex parte spectetur, vitiosa, mala, et prohibita esse deprehendatur. Nam catholicus hac sua actione cooperatur in schismate; immo schismatis crimen ipso suo facto approbat, intrusumque pro legitimo parocho agnoscit, et colit, ut fusius declaratur in instructione Sanctitatis Suæ jussu exarata die xxvi. septembris anni MDCCXCI. super baptismo, matrimonio, et sepulturis.

*Quaestio* 8. Num mulieribus post puerperium fas sit præsentes se sistere parocho, aut presbytero jurato, ut benedictionem ab ipso accipiant, quæ in rituali Romano præscripta legitur = *pro benedictione mulieris post partum* =, itemque missæ assistere a parocho, aut presbytero jurato celebratæ?

*Responsum fuit* = Non licere mulieribus puerperio expleto præfatam accipere benedictionem a parocho, vel presbytero jurato, quoniam id esset cum ipso in divinis communicare: eo vel magis quod nullo adstringuntur præcepto mulieres, accipere post partum benedictionem, sed præstare id solent solummodo ex pia, ac laudabili consuetudine, ut legitur in rituali Romano: neque ferendum esse mulieres ea occasione assistere missæ celebratæ a

parocho, vel presbytero jurato, ob rationem sæpe sæpius indicatam.

*Quaestio* 9. Num licite fideles in articulo, vel periculo mortis possint absolutionem recipere a sacerdote jurato, et a parocho intruso?

*Responsum fuit* = Non esse improbandam rationem quam inierunt nonnulli Gallicani præsules, qui in articulo, vel periculo mortis, pœnitentiæ sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, a sacerdotibus juratis, ac etiam a parochis intrusis recipi posse permiserunt, deficiente quovis alio catholico sacerdote.

*Quaestio* 10. Num licitum sit sacerdotibus non jejunis hostias consumare a sacerdotibus catholicis consecratas, ne in manus deveniant intrusorum?

*Responsum fuit* = Licere sacerdotibus non jejunis hostias consumare a catholicis sacerdotibus consecratas, ne in manus intrusorum veniant, quoties alius sacerdos jejunus non adsit, nec alia ratione consuli possit reverentiæ iisdem hostiis debitæ.

*Quaestio* 11. Num fidelibus liceat genua flectere coram hostiis consecratis ab intrusis?

*Responsum fuit* = Fideles genua flectere debere coram hostiis consecratis ab intrusis, cum in iis contineatur vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguis, una cum anima, et Divinitate D. N. J. C. Ne vero in ejusmodi cultu præstando immiscere se videantur catholici cum schismaticis, curabunt iidem catholici occasiones declinare occursus schismaticorum, cum sacramentum deferunt.

*Quaestio* 12. Quibus pœnis subjiciendi sint sive ecclesiastici, sive laici, qui præstiterunt juramentum de libertate, et æqualitate servanda?

*Responsum fuit* = Non esse locum pro nunc pœnis canonicis, nondum edito per sanctissimum dominum Nostrum judicio super præfato juramento, sed monendos esse et laicos, et ecclesiasticos, qui idem juramentum præstiterunt, ut consulant conscientiæ suæ, cum in dubio jurare non liceat.

*Quaestio* 13. Postulata interdum fuit a Sanctissimo Domino Nostro pro aliquo ex vicariis generalibus diœcesium regni Galliarum, et pro aliis simplicibus sacerdotibus facultas consecrandi oleum infirmorum, oleum catechumenorum, et sanctam chrisma extra tempora, eo quod deerat triplex oleum commemoratum, et deerat pariter episcopus consecrator tum in diœcesi carente triplici oleo supradicto, tum in vicinis diœcesibus legitimo pastore orbatis?

*Huic petitioni satisfactum est sequentem in modum* ; Non expedire videlicet facultatem tribui simplicibus sacerdotibus consecrandi triplex oleum præmemoratum, cum deprehensum fuerit insuetum esse in ecclesia latina hujusmodi potestate simplices presbyteros ab apostolica Sede insigniri : a qua quidem regula eo minus recedi non debere judicatum est, quod impossibile non sit triplex oleum a catholico episcopo benedictum, si non ex proximis, ex remotis saltem diœcesibus habere. Ne autem propter deficientiam sancti chrismatis, et olei infirmorum, carere cogantur fideles sacramentis tum confirmationis, tum extremæ unctionis, opportunum visum est monere vicarium generalem proponentem hujusmodi petitionem, muneris sui esse luctuosissimis hisce temporibus curare, ut vel ex proximis, vel saltem ex remotis regionibus in diœcesim, in qua ipse fungebatur munere vicarii generalis, transferetur citius ac fieri posset oleum infirmorum, et sanctum chrisma : quod profecto deprehensum fuit non esse difficile, si debita cum cautione oleorum transportatio perageretur. Iis autem habitis, ne in posterum deficerent, insinuatum est fuit, ut præ oculis haberet regulam, quæ in rituali Romano præscibitur *tit.* 2. *cap.* 1. § 23. = Si deficere videantur vetera olea, et chrisma ; aut oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate = ; neque prætermissum fuit eumdem certiorem reddere posse oleo benedicto adjungere non benedictum pluribus vicibus, ita ut oleum adjunctum consideratum separatim, et in unaquaque admixtione, sit in minori quantitate, quam oleum benedictum, quamvis consideratis omnibus additionibus simul, fiat quantitas major non benedicti ; quemadmodum resolutum fuit a sacra congregatione Concilii die 23. septembris anni 1682.

*Epistola ad episcopum Lucionensem.*

Perlatæ sunt sanctissimo domino Nostro amplitudis tuæ literæ cum literis quas Lucionensis diœcesis parochi ad te transmiserunt. Ex his incredibile dictu est quanto Sanctitas Sua superabundaverit gaudio in omni tribulatione fidelium Lucionensis diœcesis, audiens eorum fidem, ac studium in catholica

religione tuenda, nec non patientiam in perferendis malis, quibus luctuosissimis hisce temporibus ipsi affliguntur. Hinc, ut quantocitius fieri posset, eisdem fidelibus opitularetur, atque petitionibus tuis satisfaceret, eas selectæ cardinalium congregationi examinandas commisit; quæ autem a præfata congregatione decreta sunt, ac probata ab eadem Sanctitate Sua, amplitudini tuæ me significare mandavit.

Exponis itaque non ita pridem a nationali conventu conditum decretum fuisse, quo præscribitur, matrimonia imposterum in regno Galliarum celebrari debere coram municipalitate, sive coram officiali a municipalitate delecto; a municipalitate vero, seu a præmemorato officiali recipi coram quatuor testibus debere declarationem a futuris conjugibus emittendam sub hac forma verborum = *Declaro me sumere N. N. in matrimonium* =: qua declaratione vicissim a duobus conjugibus facta, ab officiali publico pronunciandum esse, eos in nomine legis conjunctos fore: præfato autem nationalis conventus decreto nihil cautum esse, ais, circa formam a Tridentino concilio præscriptam, quæ profecto si nihil aliud obstaret, in vim tantummodo præmemorati decreti observari adamussim posset.

At formam a prælaudato Tridentino concilio præscriptam pro conjugiis ineundis, in ea parte, quæ respicit parochi præsentiam, observari modo non posse a majori parte fidelium diœcesis Lucionensis moleste fers, propter legittimorum parochorum deficientiam: qua ex re, mala, et incommoda gravissima oboritura prævides. Hinc ut præmemorati Lucionensis diœcesis fideles in circumstantiis adeo luctuosis constituti, liberi declarentur ab observantia decreti Tridentini concilii pro conjugiorum celebratione, primum animadvertis, non posse certo statui, notissimum concilii Tridentini decretum, quod legitur *Sess. 24. de reformat. matrim. cap. 1.* publicatum reapse fuisse in singulis Galliarum ecclesiis, quam quidem publicationis formam expresse requirit Tridentinum, ut post triginta dies a publicatione facta, incipiat obligare.

Sed de hoc ne tu quidem nimis instas, quoniam non magni momenti esse probe agnoscis: illud potius urges, et conficere conaris, quod posito etiam Tridentini concilii decretum fuisse in singulis Galliarum paræciis publicatum, non idcirco nulla, ac irrita censeri deberent matrimonia sine parochi præsentia contracta iis in locis, in quibus parochi præsentia haberi non possit. In cujus rei confirmationem, et clarissimorum virorum testimonia profers, et auctoritatem potissimum sacræ congregationis Concilii. Ab ea enim pluries resolutum esse adnotas, satisfieri menti Tridentini concilii celebrando matrimonium coram testibus, ubi parochi præsentia haberi nequeat. Ex quo inferre te posse arbitraris, valida censeri debere matrimonia sine parochi præsentia celebrata ab iis fidelibus Lucionensis diœcesis, qui parocho carere coguntur, quoniam in vim præmemorati decreti nationalis conventus, matrimonia contrahi debent coram municipalitate, seu officiali ab ipsa municipalitate delecto, quodque multum interest ad id de quo agitur, etiam coram quatuor testibus.

Hæc summa est eorum, quæ in tua epistola continentur, atque ferme hæc ipsa complectitur epistola, quam Lucionensis diœcesis parochi ad te transmiserunt.

Ut igitur iis omnibus, quæ proponuntur, opportunum daretur responsum, hæc, quæ sequuntur, a præfata cardinalium congregatione constituta fuerunt.

I. Frustra quæstionem modo moveri, num Tridentini concilii decretum publicatum in singulis Galliarum ecclesiis fuerit. Cum enim certo certius constet in ecclesiis Galliarum jam usu receptum esse, ut matrimonia celebrentur coram parocho, et duobus, vel tribus testibus tamquam in executionem decreti concilii Tridentini, hoc profecto satis debet esse, ut præsumatur facta ejusdem decreti publicatio, sicut aperte legitur in resolutione edita a sacra congregatione Concilii die xxvi. septembris anni MDCII., quæ refertur lib. 10. decretorum pag. 47. *publicationem præsumi ubi id decretum fuerit aliquo tempore in parochia tamquam decretum concilii observatum*: Idemque statutum legitur in alia resolutione die xxx. martii anni MDCLXIX.

II. Lucionensis diœcesis fideles abstinere omnino debere a contrahendo matrimonio coram municipalitate, aut coram officiali a municipalitate selecto: cum enim tum ii, qui municipalitatem componunt, tum officialis a municipalitate electus, sint publici functionarii, ut ajunt, juramentum a conventu nationali præscriptum emiserint necessum est; quapropter tamquam schismatici, aut adminus tamquam schismatis fau-

tores jure merito reputantur. Ex his autem illud consequens est, abstinere omnino fideles debere a contrahendo matrimonio coram municipalitate, seu coram officiali a municipalitate delecto, ne ulla schismatis contagione polluantur.

III. Curare idcirco fideles debere contrahere matrimonium coram testibus, et quidem quoad fieri possit catholicis, priusquam municipalitati se præsentes sistant, ut præscriptam a nationali conventu declarationem faciant. Et quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino parochum legittimum habere, istorum profecto conjugia contracta coram testibus, et sine parochi præsentia, si nihil aliud obstet, et valida, et licita erunt, ut sæpe sæpius declaratum fuit a sacra congregatione concilii Tridentini interprete.

IV. Nihil tamen impedimento esse, quominus fideles, ut civilibus potiantur effectibus, præscriptam a nationali conventu declarationem faciant, illud semper præ oculis habentes, nullum ab ipsis tunc contrahi matrimonium, sed actum mere civilem exerceri.

V. Demum in præfata declaratione facienda præ oculis habere debere saluberrimas regulas, quæ ea de re leguntur in instructione jussu Sanctitatis Suæ exarata die xxvi. septembris anni MDCCXCI. super quibusdam quæstionibus a Galliarum episcopis propositis.

Atque hæc quidem cum præfatæ particularis congregationis cardinalium, tum etiam maxime Sanctitatis Suæ nomine amplitudini tuæ significanda habui, dum ego meo nomine observantiæ meæ testimonium amplitudini tuæ defero, perennemque tibi a Domino felicitatem precor.

Ex ædibus Vaticanis die xxviii maii an. MDCCXCIII.

F. X. card. De Zelada

*Indultum SSmi Domini Nostri pro fidelibus regni Galliarum, ut possint hoc persecutionis tempore indulgentias lucrari.*

Sanctitas Sua de consilio selectæ cardinalium congregationis benigne indulget fidelibus regni Galliarum ad annum, si tamdiu horum temporum calamitas perduraverit, ut deficientibus sacerdotibus, qui confessiones excipere valeant præfixo tempore, fideles utriusque sexus ejusdem regni indulgentias consequi possint tum ab eadem Sanctitate Sua, tum a Romanis pontificibus prædecessoribus concessas, sacramentali confessione non præmissa, modo actum contritionis eliciant, cum proposito confitendi quamprimum fieri poterit.

Item eadem Sanctitas Sua benigne indulget, ut iidem fideles propter deficientiam ecclesiarum, indulgentias consequi valeant, preces a Sanctitate Sua, aut prædecessoribus suis præscriptas recitantes privatis in domibus ad instar oratoriorum decenter redactis, in quibus catholici coguntur sacra facere.

Ex ædibus Vaticanis die prima aprilis an. MDCCXCIV.

F. X. card. De Zelada

---

## CMXLII.

Dat. die 4 junii 1793 anno XIX.

Concessio alternativæ servandæ inter provincias Cismontanam, et Ultramontanam ordinis beatæ Mariæ virginis de Monte Carmelo in electione prioris generalis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Sacrosancti apostolatus officium humilitati Nostræ per divinæ bonitatis abbundantiam nullo licet meritorum Nostrorum suffragio creditum salubriter exequi jugiter satagentes ad ea per quæ felici prosperoque regularium regimini consulitur libenter intendimus, munerisque Nostri pastoralis partes libenter interponimus, sicut Nos locorum, personarum, rerum, et temporum qualitatibus mature pensatis ad omnipotentis Dei gloriam, et religionis incrementum expedire in Domino arbitramur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii provinciales multarum provinciarum fratrum ordinis beatæ Mariæ virginis de monte Carmelo nuncupatæ, antiquæ observantiæ, ac præsertim in regnis Hispaniarum commorantes, quod ipsi serio et unanimi consilio prospicientes tranquillo sui ordinis regimini, ac suarum respective provinciarum in ævum duraturæ cum supremo capite ejusdem ordinis unioni, ut solidior inter caput, et membra

exurgat concordia, et regularis disciplina magis magisque in dies promoveatur, cum ex rerum usu compertum sit, jurgia, scandala, ac partium studia, quæ non raro in electione prioris generalis totius ordinis exorta sunt, ex eo præsertim proficisci, quod licet in utraque familia Cismontana scilicet, et Ultramontana dicti ordinis semper extiterint, viri doctrina, prudentia, ac in rebus gerendis dexteritate commendabiles, nulla tamen inter easdem familias constituta reperiatur alternativa ad gradum generalatus hujusmodi, quo propterea huic malo firmum, ac præsens remedium adhibeatur in id conferre quammaxime posse putant, quatenus, uti nonnullis aliis ordinibus regularibus, aut a Romanis pontificibus prædecessoribus Nostris, aut a Nobis fuit concessum; sic quoque in electione prioris generalis totius ordinis prædicti alternativa sub certis modis inter dictas familias Cismontanam scilicet, et Ultramontanam per Nos constituatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in ordine prædicto quantum cum Deo fieri potest, et prout decet Christifideles, qui nedum præcepta, sed ipsa Jesu Christi consilia adamussim custodire elegerunt, pax conservetur, et charitas magis magisque nutriatur, statuimus, et decernimus, ut de cætero prior generalis per unum sexennium ex familia Cismontana, per sequens vero sexennium ex familia Ultramontana eligatur, ac ubi prior generalis erit ex familia Cismontana, procurator generalis ex Ultramontana, ac vicissim ubi illa ex Ultramontana, iste ex Cismontana sit assumendus, sicque alternis vicibus in perpetuum volumus observari. Quapropter in proximo futuro capitulo generali in conventu sanctæ Mariæ de Transpontina almæ Nostræ urbis convocando, cum ultimus prior generalis dicti ordinis ex familia Cismontana fuerit electus, et procurator generalis ex familia Ultramontana, et alternativa hujusmodi incipiatur, novus deputandus prior generalis ex familia Ultramontana, et procurator generalis ex familia Cismontana erunt respective constituendi, mandamus propterea ut priores generales dicti ordinis pro tempore existentes, qui in Romana curia cujuscumque nationis sint residere semper consueverunt, si ab ea, aut Nostra et Romanæ Ecclesiæ ditione juxta sui ordinis exigentiam, et utilitatem discesserint, ne ordinis negotia retardentur, unum commissarium in eadem Romana curia cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis constituere teneantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum plenissime suffragari, et inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et provinciarum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, ec sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quarta junii millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, pontificatus Nostri anno decimo nono.